



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

[Liber Quartvs]

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

CATECHISMI DN.
CONRADI CLINGII, LL
BER QVARTVS. 20

CAPVT PRIMVM.

ARGVMENTA.

1. *De corporali disciplina & quid sit mortificatio corporalis.*
2. *Quantum differat à iustitia spiritus.*
3. *Quam grauer peccant contemptores huiusmodi discipline.*



PRIMò, mortificatio est extirpatio vitiorum in corpore nostro per contrarias virtutes & actus ppter Deum, sicuti docet Apostolus ad Coloss. 3. Mortificate mēbra vestra, quae sunt super terram, fornicationē, immunditiam, auaritiam, iram, blasphemiam, turpē sermōnem, mendacium &c. Hęc enim vitia dicuntur membra corporis, scilicet peccati, & illa extirpare debemus per castitatem, paupertatē vel inediam, benignitatem, veritatē, per condonationē &c. hęc enim expellunt vitia atq; mortificant, & sunt membra noui hominis, id est, Euangelici. Sic ad Romanos 6. admodum exhibere nunc membra nostra iustitię, & capite 12. corpora offerre in hostiam viuētē. Sic iubet Christus, Luc 21. cauere, ne corda nostra grauentur crapula, & Matth 17. Hoc genus dæmoniorum non eicitur, nisi ieiunio & oratione. & Romanorum 13. Non in comessionibus & ebrietatibus, prioris Pet. quinto : Sobrij estote & vigilate. 1. Corinthiorum

nono

9. Castigo corpus meum &c. His & similibus auctoritatibus præcipitur illa disciplina corporis atq; mortificatio, nempe vt moderatè bibatur & edatur, vt ieiunemus, laboremus, studeamus rebus sacris, verbū Dei perferutemur, oremus, vigilemus, fugiamus occasionem peccandi, Ecclesiam Dei frequētemus &c. Summa, vt voluptatem nobis subtrahamus, quantū fieri potest ore, habitu, & opere. Sic Ioan. Baptista fuit indutus veste de pilis camelorū, & cibus illi fuit mel atq; potus simplex. Sic Daniel cum socijs suis, sic filij Rechab Iere 35. Omnia illa fiebant, vt peccatum carnis domaretur. Est quoq; quædam mortificatio, quæ à Deo infligitur, vt est infirmitas vel ægrotudo corporis, mors, tribulatio, angustia: & illa non sunt in potestate nostra, & illa tollerare est necessè. Sunt enim præcipuus cultus sanctorum, quem Deus exigit, & sibi placet, sicut Dauid dicit Psal. 50. Sacrificium Deo Spiritus contribulatus &c. ibi exigitur nostra obedientia, quæ dicit, Domine, fiat voluntas tua. Et quanuis hæc mortificatio non est in nostra potestate, mitigari tamen potest nostris precibus & pœnitentia, vt patet in Dauide 2. Reg. vlti. cum plaga pestilentie, cum Ezechia qui ægrotauit ad mortem, cui adijciuntur anni 15. Est quoq; aliud genus mortificationis voluntariè assumptum, necessarium tamen vt fiat ad coercendam carnem, ne saturitas nos obruat, & reddat securos & ociosos, ac indulgeat affectibus carnis: & hanc disciplinam vbiq; docet scriptura, vt dictum est, in eum finem, vt caro dometur, non vt hîc remissio peccatorum & salus æterna, quæ ex Christi merito habemus, quæratur: etsi hoc etiam verum sit, quòd hæc habeant sua præmia.

Secundò, hac differentia oportet notare, qd corporalis illa disciplina & mortificatio non sunt prima & vera iustitia, quæ antè Deum valet, licet etiam exigatur: nam antè Deum est iustitia potissima vera fides,

dilectio, & timor Dei, patiētia, misericordia, pax, gaudium, vt sunt fructus Spiritus sancti Gal. quinto. Hęc enim in corde consistunt, & multò nobilissima sunt opera atque fructus Christiani hominis, quàm externa illa corporalis exercitatio: ideò dicit Apost. 1. Timoth. 4. Corporalis exercitatio parum utilis est, sed pietas fidei scilicet, ad omnia valet: non dicit quòd in toto inutilis sit hęc exercitatio, sed quòd præponendæ illi sunt spirituales virtutes, vera pœnitentia, inuocatio Dei, fides, &cæt. Sine illis virtutibus spiritualibus nihil vel parùm proderit corporalis exercitatio. Facit igitur Apostolus collationem inter hęc exercitia corporalia & spirituales iustitiam, quæ lōgè superior est atq; præstantior.

Fides enim gratis accipit remissionem propter Christum, ideò hoc genus exercitij in alium ordinatur finem, scilicet mortificationem corporis, vt caro dometur, ne in crapulam & ocium, peccata ac vitia cadat: deindè, vt eo magis efficiamur apti adorandum, inuocandum, seruiendum, laudandum Deum, & eius quæ sunt curandum, ac præcepta obseruanda, &cæt. Sic rectè & vtiliter fiunt, & sunt bona opera & verus cultus Dei, mandatus à Deo. & talia opera nõ pertinent propriè ad traditiones humanas, sed sunt opera à Deo mandata, Luc. 21. Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra, &c. Non tamen traditiones abijciuntur, quasi sint nullius momenti. Si enim in hunc finem ordinantur, vt coërceant carnem, & non opinione iustitię & necessitatis atq; salutis: neque enim sic SS. Patres instituerunt ordines religiosorum &cæt. & licet Ioannes Baptista fidem tenuit, & Christũ digito monstrauit, dicens, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi &c. Attamen corpus suum domuit vestitu, cibo & potu. Daniel & eius socij Deũ in cœlo adorabant, non gentiũ idola: macerant tamen se, & abstinent à lautioribus. Vidua in templo prædicat

Ioan. 1.

Daniel. 1.

prædicat Christum fide, tamen etiam ieiunat die noctuq; Luc. 2. Sic religiosi in ordinibus fiduciam salutis ponunt in Christum, attamen corpus regulis & obseruantijs coërcent ac domant. Insuper hæc corporalis disciplina licet nõ mereatur iustitiam & salutē, nam regnum Dei non est cibus nec potus, sed pax & gaudium in Spiritu sancto, Roma. 14. attamen habet sua præmia in hac & post hanc vitam. 1. Cor. 3. Vnusquisq; recipiet mercedem secundum suum laborem. Habet ieiunium, oratio, eleemosyna suam promissionem Matthæi sexto: habet paupertas & derelictio bonorum secularium suam promissionem. Matt. 19. Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, &cæt. Habent hæc omnia sua præmia, & cum his retinent acceptam iustitiam. Rom. 8. Si secundum carnem vixeritis, moriemini.

Tertio, grauissimè peccant, contemnentes huiusmodi disciplinam aut mortificationem carnis, viuētes quotidie in crapula, comestationibus, delitijs & voluptatibus, sicut diues ille epulo apud Luc. 16. & iã totus mundus in lasciuija & licentia viuit sine omni timore Dei. Non capit mundus libertatem Spiritus, sed arripit libertatem carnis. Fides enim liberat conscientiam, ne lex & peccatum nos damnare possint. Est enim Christus nostra iustitia, sapientia, sanctificatio & redemptio, 1. Corint. 1. nam nemo legi satisfacit, idèò Christus impleuit illam, Matthæi 5. At hæc libertatem Spiritus inter mille vix vnus capit, sed hanc trahunt in occasionē carnis, legem seruare contemnunt, peccatum non curant, & sic nihil nisi liberi carnis sunt. Et iam venit quod Christus dicit Mat. 24. cum abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Est enim hodie maximus abusus Evangelij, contra quem maximè laborat canonica Iudæ Epistola, ne gratia Dei transferatur in lasciuiã. Scriptura tradit quid contigerit filijs Israël post exitū ex **Ægypto,**

Iudæ 1.

Aegypto, Exo. 16. quid Lucifero & socijs eius, Esa. 14. & Ezechiel. 26. quid Sodomæ & Gomorræ, Gene. 19. Insuper contra Doctores impios, qui viam Cain ingressi sunt, Gen. 4. qui peccare & lasciuire faciunt homines sicut Balaam, Num. 22. & 23. Qui rebellem faciunt populū, sicut Chore, Dathan & Abiron, Num. 16. Postremò assimilat tales qui descuerunt à prima accepta iustitia & fide, quòd sint nubes sine pluuia, arbores autumnales, errantia sidera, animales homines, carnem suam voluptatibus maculantes, maiestatem blasphemantes, seipso ab Ecclesia segregantes. Hæc omnia Apostolus Iudas, & admonet vt cogitemus futurum iudicium. Mundus autem graues pœnas dabit propter huiusmodi lasciuiam in futuro iudicio: Hodiè enim iuuentus negligitur, & in lasciuia malis exemplis trahitur, quibus tenemur disciplinam & institutionem: deindè fit vita barbarica, & induitur contemptus religionis, id est, omnium sacrorum. Porrò grandior ætas cum iuuentute, neque intellectum, neq; reuerentiam, neq; vlla exercitia religionis habet, & tandem redibimus ad barbarissimum & impietatem: sed væ illis qui occasio sunt &c.

CAPVT II.

ARGVMENTA.

1. *De patientia & cruce, quare toleranda.*
2. *Cur DEVS permittit super nos varia aduersa.*
3. *Quomodo patientia est sacrificium, habem promissionem regni.*

1. **P**rimò patientia est voluntaria passio aduersitatū, quæ sustinentur propter Deum aut iustitiam, & hanc ex natura nemo habet, sed donum Dei est atq; fru-

Spiritus Sancti, Gal. 5. idè inquit Dauid Psal. 70.
 Tu es patientia mea Domine. Hanc virtutem lauda-
 uit Christus & cōmendauit Apostolis, Luc. 21. quan-
 dō prædixit illis, quomodò traderentur à parenti-
 bus & fratribus & cognatis, & quomodò essent odio
 omnibus propter nomen suum, & quòd morte eos
 afficerent &c. inquit enim: In patientia vestra possi-
 debitis animas vestras. quasi dicat, si mundus aut Ty-
 rannus minetur vobis mortem, tribulet, affligat, at-
 tamen non peribit vita & anima vestra coram Deo,
 sed patientia retinebit omnia, ita quòd nec pilus de
 capite vestro peribit: patientia omnia retinet &c. Ad
 patientiam igitur habendam mouere nos debet: pri-
 mò, quia omnia aduersa in corpore & rebus ac Spiri-
 tu, non casu contingunt nobis, sed aliquo consilio &
 permissione diuina, vt dicit scriptura, nō cadet vnus **Matth. 10.**
 de passeribus istis super terram, & 1. Reg. 2. Dominus
 mortificat, & viuificat, deducit ad inferos & reducit.
 Falsæ igitur sunt Epicureæ opiniones, quòd fato om-
 nia eueniāt. Deindè nos mouere debet ad patientiā,
 quòd Deus punit nos non vt perdat, sed vt vocet nos
 ad pœnitentiam, 1. Cor. 11. Cùm iudicamur, à Domi-
 no corripimur, nempè ne cum hoc mundo condem-
 nemur. Et Prouerb. 3. Quem diligit Dominus, corri-
 pit. ob id flagella sunt signa misericordiæ & bonæ vo-
 luntatis Dei erga nos, vt fiamus membra similia ima-
 gini Christi. Quare non debemus impatienter ferre
 calamitatem, aut putare quoniam indignè patimur,
 vel nimis durè affligimur, & sic irasci diuino consi-
 lio ac iudicio, impium ac peccatum est. Vult enim De-
 us & requirit nostram obedientiam & patientiam in
 aduersis. Tali enim modo vult nos exerceri & humi-
 liari, idè dicebat Dauid Psal. 118. Bonum mihi quia
 humiliasti me. Viuat mundus & caro in maximis vo-
 luptatibus & operibus tranquillè. nos interim om-
 nimodis miserijs opprimimur: non debemus rapi ad
 impacien-

impatientiam contra Deum & proximum: hoc enim graue est peccatum: sed cogitamus quod ait Christus Mat. 5. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur, & Ioan. 16. Pressuram habebitis in mundo, sed luctus vester conuertetur in gaudium, & dicimus: Domine, fiat sicut tu vis, & non ego, vt Christus ait in horto,

Matt. 26.

2.
Causa.

Secundò, prima causa cur Deus crucem & tribulationem permittit super nos, est, quia regnum Christi erit noua & æterna iustitia & vita: hærent autem in corpore nostro reliquiæ peccati, ideò hoc corpus aboleri vult, ac subiecit afflictionibus & morti, vt postea noua & spiritali natura vestiatur & glorificetur, quæ sine peccato & morte erit. Rom. octauo. Corpus mortificatur propter peccatum. & cap. 6. Vetus noster homo simul crucifixus est, vt destruat corpus peccati. & sic expectamus redemptionem corporis nostri ad Philipp. tertio. Nostra conuersatio in cælis est, vnde & expectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ &c. sunt persecutiones, lotiones, & mundationes à reliquijs in carne peccati. Psal. 118. Bonum mihi quia humiliasti me, vt discam iustificationes

Causa II.

Psal. 90.

tuas. Altera causa est, vt habeamus occasionem exercendæ fidei & inuocationis. nam certò tenenda est fides quod Deus sit nobis præsens, & opem ferat, & ad nos iuuandos festinet cum adiutorio suo. Psal. 90. Liberabo eum & protegā eum &c. Et iterum, Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Et hæc promissio fidem exigit certam, quia Deus me tui non potest: ideò vt Deum inuocemus in tribulatione: nam hanc inuocationem à nobis exigit & est cultus DEI, Psalm. 88 & 90. Ipse inuocabit me, & ego exaudiam eum: & hæc liberatio testatur Deum adesse, & nos illi esse curæ, & fit deindè notitia DEI per hanc occasionem illustrior, & crescit in nobis, sicut dicitur:

ent dō:

ut docent exempla patrum, Manassæ regis, secundo. Paralip. 33. & Paulus 2 Corinth. vltim iubet orare & gratias agere, vt misericordia & notitia Dei fiat illustrior. Multò autē meliores sunt eę afflictiones, quas Deus immittit, quàm quaiũ ipsi nobis causæ sumus, & maximè sine fide, scilicet quandò putāt se huiusmodi afflictionib. mereri vitam æternam. fides credit & tenet, quoniam propter nomen Christi & illius sanguinem saluamur: tales erant afflictiones Sacerdotũ Baal, qui cutem suam gladijs lacerabant, & quidam hæretici qui semetipsos vulnerabant, & dicebant se talia passos à latronibus propter iustitiam, vt Philastrius meminit &c. Profunt autem aliquando spontè accersitæ afflictiones, quandò fiunt sine superstitione, id est, dum non accedit falsa opinio, quasi his mereamur vitam & iustitiam, sed prout sunt mortificatio & quædam coactio corporis, ne nimium indulgeat voluptati & lasciuia. Sic iubet Christus caueri, ne corda grauentur crapula & ebrietate, &c. Lucæ 21. & 1. Corinth. 9. Paulus castigat corpus. Sic sancti patres & eremitæ sua corpora castigârunt ieiunijs, & vigilijs, laboribus, siti, esurie, frigore, &c. 2. Corinth. 11.

Tertiò, afflictiones sunt sacrificia, si patienter perferantur, siue à natura, siue sequitã hominum illatæ. Habet etiam natura sua incommoda, quæ sunt pœnæ peccati, & fiunt voluntate Dei, scilicet diutina infirmitas, cæcitas ac cæteræ cruces, quas in mortali corpore sentimus: multæ etiam sunt tribulationes iustorum à mundo illatæ, sed cum fuerimus patientes secundum voluntatem Dei, 1. Petr. secundo, tunc fiunt sacrificia nostra quæ Deo offerimus, & sunt illi grata & accepta, Psalm. 50. sacrificium Deo Spiritus contribulatus. Rom. 12. Præbete corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem. Si igitur vis DEO aliquid offerre, patientem animum
in ad=

3. Reg. 18.

3.

in aduersis habeto: & rot facies sacrificia, quot pericula & afflictiones patienter sustinueris. Deinde patientia est optima virtus Christiani. Philosophi enim laudârunt illam æquabilitatem, animum non frangi in rebus aduersis, vt Cicero in Tusculanis. Quare multò magis laudanda est hæc virtus tolerantiz in Christiano homine, qui patitur & tolerat, ppter Christum & iustitiam: nam impatiens animus existimat se negligi à Deo, & imaginatur se frustra implorare auxilium à Deo: fitq; in magnis afflictionibus blasphemus, & quærit consilia contra mandatum Dei, sicut Saul rex consuluit veneficā 1. Reg 28. Talia peccata veniunt ex impatientia, & sunt contra primam tabulam: deinde aduersus homines dolor iniuriæ parit odium, incitat ad vindictam: qua ex re sæpè fiunt non solum priuatæ dissensiones & simultates, sed etiam seditiones, publici motus, minæ incendiorum, indictiones bellorum, &c. atq; sic peccatur in secundam tabulam.

Necessaria igitur est patientia in aduersis coram Deo: primò, vt fidem & obedientiam retineamus: deinde, propter tranquillitatem Ecclesiæ & Reipub. coram hominibus: postremò, propter priuatam tranquillitatem: nam qui alium persequitur in corpore, secundū Augusti seipsum in mente cruciat & persequitur. Statuendum est igitur, animi omnia supplicia & omnes cruciatus & iniurias potiùs perpeti, quàm propter priuatam iniuriam perturbare publicam tranquillitatem. Sed Philosophia hæc ignota est Doctoribus & Principibus. Ideò priuatis affectibus indulgentes illi, scriptis maledicis alter alterum inlectantur: hi verò publicas discordias & bella mouent &c. Porro patientia magnum habebit præmiū apud Deum. Psal. 9. inquit Dauid: Patientia pauperum non peribit in finem. Videtur aliquando carnalibus perire, sed in finem non peribit. Sic dicitur Iob quarto:

Vbi

Vbi est
na, Lu
tient
tur à
nent
mund
persec
am ip

1.

2.

3.

V

psum
de no
Chri
n. D
enim
Nam
tur al
sicut
nostr
Sapie
milia
milia
pore
lo &

Vbi est patientia tua? sunt enim patientes terra bona, Lucae 8. quæ semen verbi diuini fructificat in patientia, nempe fructus Euangelij tandem accipiuntur à DEO, qui hinc in patientia verbum Dei retinent & custodiunt, quantumcunque etiam sæuiat mundus. & Christus consolatur Matthæi 5. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum, &c.

CAPVT III.

A R G V M E N T A.

1. *De humilitate Christiani hominis, & quid sit.*
2. *Quare Christianus debeat humiliari.*
3. *Qui sint fructus humilitatis.*



PRIMO, humilitas est volūtaria & exilis reputatio de seipso propter Deum. humiliavit enim se Christus propter nos, cum esset Deus, formam serui accepit, ad Philippen. secundo. Ergo propter ipsum & è diuerso debemus meritò humiliari, & non de nobisipsis alta sentire, Romanor. 12. docet enim Christus & iubet, vt ipsum in hoc imitemur. Matthei 11. Discite à me, qui mitis sum & humilis corde. Est enim hæc virtus humilitas contraria vitio superbiæ. Nam superbia semper eligit quod extra est, vt videatur ab hominibus: at humilitas eligit quod intus est, sicut Apostolus dicit 2. Corinthior. primo: Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ. idè Sapiens Ecclesiast. 33. Quanto maior es, tanto te humilia in omnibus. & Petrus iubet 1. Petr. quinto: Humiliamini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tēpore visitationis. Deus enim humilia respicit in cœlo & in terra, & alta à longè cognoscit, & respexit De

K K

us in

us in orationem humilium &c. Superbum angelum de cœlo eiecit, Esai. 40. & Saul regem humilem elegit, 1. Reg. 15. Sed eo facto superbo & inobediente, humilis David in regem præficitur, 1. Reg. 16.

Secundò, debemus humiles esse semper, cò quia homo cinis & puluis est, & in puluerem redibit: ideò Deus ne homo extolleret sese, & altum saperet, dixit illi Gene. 3. Memento quòd cinis es, & in cinerem reuerteris. Hanc similitudinem Deus ipse de homine dixit, & non homo: quod Deus fecit propter vilitatem. Sicut enim cinis est res abiecta & vilis, quantumcumque fuerit de materia preciosa vel auro, vel lapillis preciosis vel cinamomo &cæt. & optimis herbis & rebus: sic homo etiam si se totum tegetet auro, annulis & catenis in supremo honore & dignitate, natura tamen mortalis, & miser, & nudus tandem in puluerem conuertitur, fit esca vermicibus &cæt. & nihil est superbus ornatus, nisi quod oculos pascit, sicut iactantia & sonus verborum aures &cæt. Hæc neminem beatificant, sed timor Domini & humilitas. Ideò dixit David 2. Reg. sexto: Ludam coram DOMINO, & vilior fiam, eroque humilis in oculis meis, Deindè cinis facilè dispergitur & non potest resistere vel modico flatui, Sic homo etiam vitro fragilior est, nec potest ex seipso resistere & vincere tentationem: cito infirmatur ex leui principio, & tunc statim cadit omnis superbia & elatio mentis. Ideò Propheta rogat Deum, vt dignetur dare hominibus, vt sciât & cognoscant sese, quod homines sint. Dicitur enim homo quasi de humo. Psalm. 9. Vt sciât Gentes, quoniam homines sunt, qui enim se semper agnoscit hominem, is non de facili in superbiam ruat, nec in avaritiam, nec inuidiam, aut iram. Non enim sese agnoscere hominem esse de limo terræ creatum nec nouissima sua vel suprema funera memorati, sæpe fons & causa est peccatorum & obliuionis Dei
& extra

& extremi iudicij. Ecclesiast 7. Memorare nouissima
 tua & in æternum non peccabis &cæt. Iob 7. Quid
 est homo, quia magnificas eum? Et iterum: Manus
 tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in cir-
 cuitu, & sic repente præcipitas me? Tertio, quia cinis
 non potest redire ad statum suæ materiæ. nam cinis
 auri non redit iterum in aurum. eramus in prima
 creatione in originali iustitia aurum, sed facti sumus
 puluis per peccatum, & ex nobis non possumus reuer-
 ti in aurum: ideo solo Christi merito redimus ad regnum
 Ideo in timore viuere debemus atque in humilitate,
 quia totum quod habemus & accipimus, ex immeri-
 ta Dei misericordia est, 1. Cor. 4. Quid habes quod non
 accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non
 acceperis? Ergo propter has rationes Deus assimilat
 cineri, ut cogitet se semper humiliari. Habet ergo ve-
 ra humilitas tres gradus: Primus est, laudes & hono-
 res fugere, sicut Christus fugit, cum turbæ volebant
 ipsum regem facere, ut dicitur Ioan. 6. Sic Apostoli
 Paulus & Barnabas nolebant sibi immolari Act. 14.
 & Matthæi quinto iubet Christus, ut omnia opera
 nostra sic fiant, ut glorificent patrem nostrum, qui
 in cælis est, non inquit, ut vos gloriam vestram inde
 queratis, Christus enim sua miracula prohibebat
 publicari, ut documentum daret, nos fugere debere
 iactantiam & vanitatem, utque ipse esset nobis vera
 humilitatis exemplum, sicut patet de leproso, Matt.
 octauo. de duobus cæcis ab ipso illuminatis, Matt.
 9. de muto & surdo sanato Lu. 11. de transfiguratione
 dixit, Nemini dixeritis visionem hanc &c. Mat. 17. Sic
 beata virgo dum salutatur ab angelo, humiliter se ex-
 cusat Lu. 1. Secundus gradus, opprobria & contumelias
 æquanimiter tolerare Sic David cum malediceretur à
 Semei, 2 Regum 16. dixit seruo: Dimitte eum, ut ma-
 ledicat iuxta præceptum Domini, si forte adspiciat
 eum Dominus &cæt, Psalm. 118. Bonum mihi, quia

Iob. 18.

Humilitatis gradus

I.

Gradus II.

KK 2

humi-

humiliasti me. Non oportet respicere in illum, qui cōtumelias profert, sed in Deum, qui hoc sæpè ordinavit ad humiliandum nos, vt sic nobis malediceretur.

Ioan. 18. Sic iubet Petrū gladium mittere in vaginā, Nam inquit Calicē quem dedit mihi pater, non vis vt bibam ipsum? Sic ibant gaudentes apostoli, quoniam digni sunt habiti pro nomine Iesu contumeliam pati, Act.

Gradus 3. 5. Tertius gradus est, vilia officia non recusare. Lauit Christus pedes Apostolorum suorum, Ioann. 13 & Lucæ 22. Ego in medio vestrūm sum, sicut vnus ex vobis. Sic 1. Reg. 25. cū Abigail audiret quòd Dauid cam vellet ducere in vxorem, dixit: Ecce famula tua fit in ancillam, vt lauet pedes seruorum Domini mei. Qui ergo verè humilis est, non recusat subesse maiori, nec se præfert æquali, immò nec minori recusat subesse. Est igitur pessimum vitium hominis, superbia, vel amor sui ipsius, iactantia, inanis gloria, & ambitio, quam expressissimè prohibet scriptura Apostolica Gal. quinto. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

3. Tertiò, multi boni fructus sequuntur humilitatem, & primò, quòd tales accipiunt gratiā Dei. 1. Pet. 5. Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiā. Sic cantat virgo gloriosa Lucæ 1. quia respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: virginitas parū profuisset ei, nisi & humilitas coniuncta fuisset: contra superbas virgines & mulieres, amat Deus humiles: Deindè Deus mysterium sui sancti Euangelij, quòd per Christum accipimus remissionem peccatorum & salutem æternam, reuelat humilibus, & illis dat gratiam Spiritus sancti. Mat. 11. Confiteor tibi pater, quia abscondisti hæc à sapientibus & prudentib. & reuelasti ea paruulis. Et 1. Corinth. 1. Infirma mundi Deus elegit, vt confundat fortia, & 2. cap. inquit: Loquimur

mur sapientiam in mysterio absconditam, quam nemo principum huius seculi cognouit. Tertio, humilitas facit maiorem in regno cælorum, id est, in Ecclesia præsentis. Mat. 18. interrogant discipuli, quis sit maior in regno cælorum: & aduocans Iesus paruulum, statuit in medio eorum &c. ideo qui fuerit humilior in terris, hic maior erit in cælo. Quarto, humilium orationem Deus libenter exaudit. Vnde Iudith. 9. Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. & Psal. 101. Respexit in orationem humilium, & non spreuit preces eorum. vltimò humiles saluantur, & nullus superbus ingreditur cælum. Psalm. 33. Humiles Spiritu saluabit, & Matthei quinto. Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum, &c.

CAPVT IIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit Eleemosyna hominis Christiani.*
2. *Quomodo dandi vel eroganda.*
3. *Quid mereantur coram DEO.*

Primo, Eleemosyna græcè, latinè misericordia dicitur: & est aliud nihil Eleemosyna, nisi iuuare pauperem: & non dicitur solum de portione panis, quæ datur mēdicis antè fores, sed de omnibus beneficijs & bonis operibus erga proximum: sic remissio offensæ dicitur Eleemosyna. Luc. 6. Remittite & date, & remittetur & dabitur vobis: Dare igitur & remittere, sunt duo opera misericordiæ. Hoc opus prædicat scriptura inter alia opera exteriora vt potissimum. Sic Christus Mat. 9. Euntes discite quid sit, Misericordiã volo, & non sacrificium, Osee 6. Nec oratio, nec munus altaris Deo placet, nisi reconcilia-

to fratre: idèd antè orationem iubet remittere, Mar. 11. Sic opus elemosynæ non placet, nisi priùs sit misericordia facta cum fratre, neq; ieiunium. idèd Tobias 4. docuit filium suum, inquit: Ex substantia tua, non ex rapina fac elemosynam, & noli auertere faciem tuam ab vlllo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini: quomodo potueris, ita èslo misericors. Si multum tibi fuerit, dabis abundanter, &cæ. Diues igitur & quicumque à quo petitur, tria debet considerare: primò, quis petat: deindè, pro quo petat: tertio, ad quid petat. Primò quis petat, nempè Deus petit per hominem mendicum: nam mendicus non propter se, sed propter Deum petit. sunt enim pauperes quasi media vel instrumenta, per quæ Deus rogat: & quicquid illi feceris vel minimo, ipsi feceris, Matthæi 25. Quod vni ex minimis meis feceris, &cæ. Nos quotidie petimus & rogamus ipsum, vt adueniat nobis regnum suum, & panem quotidianum nobis det, sed petit pauper propter Deum à te elemosynam, panem, potum, vestit: quòd si pauperi quasi Deo ipsi negauerimus misericordiam vel elemosynam, nec ipse nobis dabit regnum cælorum, aut ea quæ petimus. Vndè Salomò: Qui obturat aures suas ad clamorem pauperum, clamabit ipse & non exaudietur. & Dauid, Beatus homo qui intelligit super egenum &c. Deindè, quid petat Deus per pauperem, an nostra vel sua petat, petit vtrique sua, nam vt Psalmista inquit, Domini est terra, & omnis plenitudo eius. tu enim seruus es & dispensator bonorum Dei. Vndè Dauid 1. Paralip 29. Tua sunt Domine omnia, & quæ de tua manu accepimus, dedimus tibi. Quicumque ergo abundat & crapulatur, nec dat elemosynam &c. duplex habebit iudicium, Lucæ 12. Seruus sciens voluntatem Domini sui &c. Tertio, ponderare debet diues, ad quid petit Deus per pauperem, non ad dandum, sed mutuandum.

Psalm. 23.

dum: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Et hæc est optima sceneratio, & propterea condēnatur seruus piger, qui talentum Domini in terram fodit, Matth. 25. De hac eleemosyna & misericordia loquitur Deus per Esa. 58. dicens vt pauperibus benefaciant, dent cibum esurientibus, nudis vestitum, &c. hæc opera potius vult, quàm illorum ieiunium & castigationem corporis, quòd ad lites & contentionem faciebant &c.

Secundò, Matth. 6. docet Christus modum & formam, quomodo fiat eleemosyna, & inquit: Cùm facis eleemosynam, noli tuba canere antè te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, vt honorentur ab hominib. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te ergo dante eleemosynam, nesciat sinistra quid faciat dextra tua, vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. His verbis primo corrigit Christus eleemosynam hypocritarum, non opus in se, sed ostentationem, quia propter homines fecerunt, & deindè docet nos deponere illam ostentationem, vt non propter honorem, fauorem, laudem hominum bona opera faciamus, nec propter nostrum commodum & meritum, sed simpliciter propter Deum, sine omni ambitione, aut propriæ gloriæ ac meriti venatione. Sic Paulus loquitur Rom. 13. Qui tribuit, ille tribuat in simplicitate, id est, sine omni iactantia, & ne quis querat suum honorem, fauorem, gratiam, & meritum ab hominibus, nec respiciat ad homines, an gratus sit, nec ne: sed liberè tribuat quod dare vult. Sic Deus quotidie tribuit solem, pluuiam, non respiciens an grati vel ingrati simus, hæc vocatur simplex intentio. Sed talis eleemosyna simplex propter Deum non reperitur in mundo. omnes quærunt laudem, fauorem hominum & magnum meritum, &c. vult enim Deus ppter semetipsum honorari, non ppter dona,

quæ sua, sicut omnia, sunt, & ipse propter semetipsum vult dona exhiberi, non propter nostra facta, vt solus Deus laudetur & glorificetur in omnibus. At inquit: Dauid dicit Psalm. 118. Inclinaui cor meum &c. Respond. Propheta respexit ad Dei promissionem, non in opus operatum suum. At causa promissionis premij, est Dei voluntas gratuita: quasi dicat, propter retributionem quam tu promisisti, non quam ego operibus merui. Hoc enim Christus exponit, scilicet eleemosynam fieri debere in abscondito: nam ipse intuetur cor. Quando igitur eleemosyna, testamentum, legatio, fundatio, &c. ea intentione fit, vt inde famam, laudem & gloriam quæramus, nihil promerbit apud Deum. Igitur in abscondito fieri eleemosynam, est, quando homo non quærit iactantiam vel gloriam, sed vt liberè detur, non curando an coram hominibus habeat laudem vel non, dum Deus qui retribuit, & cor & omnia nostra respicit, & ad solam illius laudem & gloriam facienda sunt eiusmodi, siue inde veniat gratitudo coram hominibus, siue ingratitude. Hic requiritur simplex oculus, solum in Deum respiciens, illum diligens & laudans: & hæc est vera & Christiana forma omnium bonorum operum, quæ fieri debent à Christianis, id est, solam gloriam & laudem Dei sine quæsitone nostri commodi vel meriti.

Tertiò, est ne aliquid præmium eleemosynæ, quia dicit Christus, Et pater qui videt in abscondito, reddet tibi, Matthæi 6. Tob. 4. Eleemosyna ab omni peccato & morte liberat. Ecclesiast. 3. Eleemosyna pauperis nõ erit in obliuionem. Dan. cap. 4. Peccata tua eleemosynis redime, & Lucæ 11, Date eleemosynam, & omnia munda erunt vobis. Respon. Eleemosyna habet magnum præmium in hac & post hanc vitam, sed oportet primò scire differentiam inter meritum Christi & meritum nostrum: meritum Christi extendit

tendit se ad remissionem peccatorum, & vitam æternam ac gratiam patris, hæc solus ille meruit suo sanguine, & gratis ex misericordia propter Christum accipimus per fidem in Baptismo, & dicitur principale præmium, *das hauptgüt*: deinde est meritum, quod nobis Deus per verbum suum promittit pro operibus iam in fide & iustificatione factis ad laudem & honorem Dei, & hoc præmium etiam gratiæ est propter Christum: sic calicem aquæ frigidæ Matth. 10. vult Deus remunerare, & tale meritum nostrum dicitur accidentale, id est, *zugabe* / & hoc habet gradus suos secundum opera, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 15. differt stella à stella in claritate & magnitudine. Sic erit resurrectio mortuorum &cæt. Sed hoc nostrum præmium vel meritum non est æquale Christi merito, alioqui Christus gratis venisset, Gal. 2. & sic elemosyna larga & magna, magnum habebit præmium hic & in futura vita. Deinde, quoties bonum opus facere volumus, hic oportet duo notare: primum, verbum Dei, quod iubet facere hoc opus, & adijcit promissionem: deinde, opus ipsum, in quantum à nobis operatum est: nam in quantum à nobis factum est. Deus nihil ei aut nobis debet, quia serui inutiles sumus, Luc. 17. ideò non oportet ad nostrum factum respicere, sed ad Dei præceptum & promissionem: ipse propter se vult distribuere, per hoc opus tanquam medium, suam gratuitam promissionem, ita quòd causa præmij & fons sit ipsa gratuita Dei misericordia, non opus operatum nostrum. Sic per elemosynam ipse liberat à peccato & morte, non opus ipsum elemosynæ: sed ipsa virtus passionis Christi distribuitur, & nos per hoc opus externum certificamur de distributione: elemosyna verò & oratio, charitas, &c. dicuntur extinguere peccata, & operire ad eum sensum, quia poenas peccatorum mitigat, redimit, extinguit, quas poenas

nas Deus etiam dimissa culpa exigit. Sola autē Christi passio tollit culpam, & nullum opus &cæt. Alligauit Deus distributionem meriti Christi pluribus rebus, nunc orationi, nūc eleemosynæ, nunc charitati &cæt. vt cognoscatur eius larga misericordia & dilectio. Ideò scriptura etiam variè loquitur, nunc fidei, nunc sacramentis, nunc operibus tribuens distributionem beneficiorum Christi: non autem ipsis operibus, sed diuinæ misericordiæ tribuitur causa distributionis: Eleemosyna assimilatur semini, semen primò absconditur in terra, sic debet abscondi eleemosyna Matth. sexto, deindè semen videtur perdi, cum potius renouetur. Sic eleemosyna. Eccles. 29. Perde pecuniam propter fratrem. Tertio, semen surgit cum foenore, sic eleemosyna centuplum accipiet. Prouer. 16. Foeneratur Domino qui miseretur pximo. Quarto, triticum hoc anno seritur, & in futuro metitur. Sed eleemosyna hîc in mundo fit, sed in futura vita habebit remunerationem, 1. Tim. 4. Pietas ad omnia utilis. hanc in iudicio Christus proferet. Matth. 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.

CAPVT V.
ARGVMENTA.

1. *De oratione siue obsecratione, quid sit.*
2. *Quare nos debeamus orare.*
3. *Quæ requirantur ad veram orationem.*

P R I M ò oratio est eleuatio mētis in Deū, quæ mens inuocat Deū, & petit aliquid, aut gratias agit pro accepto beneficio: nam inuocare, est petere aliquid à Deo: gratias agere, est agnoscere quòd diuinitus contingit auxilium: celebrare, laudare & prædicare Deum authorem beneficij. ideò scriptura hæc duo

duo sæpè coniungit, vt Psalm. 49. Inuoca me, & honorificabis me. ad Philipp. 4. Nihil solliciti sitis, sed in omni petitione & gratiarū actione petitiones vestræ innotescant &c. Quatuor hīc enumerauit Apostolus: orationem, obsecrationem, gratiarum actionem, petitionem. Oratio est aliud nihil, quàm verba quæ dico aut lego in Psalmis: obsecratio est, quando petitio propter aliquid aliud formatur, vt dum aliquem obsecro (id est, flehen,) propter hunc vel illum amicū. Sic obsecramus patrem Deum propter filium Christum in omnibus collectis. Sic obsecrauit Salomon Deum Psal. 132. Memento Domine Dauid. Sic Paulus ad Roma. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei &cæt. Petitio fit quando res nominatur quæ petitur, sicut in oratione Dominica nominamus ea, quæ obsecramus & petimus. Gratiarum actio est, accepta beneficia pensare & ponderare, ac confortare fiduciam accipiendi illud quod petimus. Sic oratio extendit se in gradus, vbi Deus inuocatur tanquàm summus auxiliator, creator, & conseruator, & in eū omnem fiduciam collocat, tanquàm summum refugium in omni necessitate & tribulatione nostra, &c.

Secundò, prima causa quare debeamus orare, est præceptum Christi. nam inquit: Petite in nomine meo, & accipietis scilicet propter nomen meū, Ioan. 16. Et quoniam hoc præceptum est, idè sicut peccat, qui furtum, adulterium, homicidium committit, eò quòd hæc Deus prohibuit, sic non obedire DEO in hoc præcepto, & illi cultum illum non reddere, non inuocare in periculis, & auxilium ab illo non expectare, non gratias agere pro beneficijs, est grande peccatum. Huic igitur præcepto opponere debemus nostram imbecillitatem, & dubitationem, quia naturaliter dubitamus, an exaudiamur, necne quòd simus indigni peccatores, quòd oratio nostra

non

non sit benè disposita, an Deus curet nostras orationes &c. Sæpè enim homines desperabundi abijciunt omnem inuocationem ob indignitatem suam. Sed quia Christus ipse præcipit, vt propter suum nomen petamus, ideò pro se quisque tenetur satisfacere huic præcepto, & non in alios reijcere, quos fortè arbitratur sanctiores esse. Deindè mouere nos debet ad orandum promissio, quæ ideò facta est, vt testetur Deum velle exaudire preces, ac ipsas efficaces esse apud Deum & sæpè promissionem suam confirmat iuramento, Ioan. 16. Amen amen dico vobis &cæt. Magna igitur Dei bonitas est, quòd promissionibus & præceptis nos inuitat ad inuocandum. Quare contemnere hæc liberalitatem Dei, est magnum piaculū, & quia Deus verax est, & seruans promissionum suarū, ob id multò pronior est ad dandum, quàm nos ad accipiendum.

3. Tertiò ad veram orationem tria exiguntur, vt efficax sit corā Deo. Primò, pœnitentia à flagitiosis peccatis, & fraternæ iniuriæ dimissio: deindè, res iusta quæ petatur: postremò, fides quæ certò statuatur Deum exaudire preces. Primò, qui sine pœnitentia est, non exauditur, Lu. 6. Quid me vocatis Domine Domine, & non facitis quæ dico vobis? Clamores igitur, cantus, psalmodiæ, &c. cum clamamus, Domine Domine, parùm proderunt, si non fecerimus pœnitentiam, & cessauerimus à peccatis. Esai. 1. Cùm multiplicaueritis orationes vestras, non exaudiam, quia manus vestræ sunt plenæ sanguine, id est, ira, odio & praua voluntate. Marc. 11. Cùm stabitis ad orandum, remittite, &c. Et Psalm. 108. Oratio eius fiat in peccatum, vbi scilicet non est pœnitentia. ideò Christus iubet reconciliari fratri, Matth. 5. antequàm munus altari imponat. Hæc ergò causa est, quòd oratio sæpè retardatur & impeditur, quia non cogitamus nos emendare: vel etiam in pijs sæpè retardatur petitio, vt sciamus hac mora exerceri fidem. Sic cùm Abrahæ esset promissa

promissa posteritas, solùm tamen in extrema senectâ datur. Rom. 4. Gene. 15. Sic dicit Christus Luc. 18. de iudice & vidua, & Paulus de stimulo ter petit 2. Cor. 12. & idem Colossen. 4. iubet orationi instandum, & 1. Thessal. 5. Sine intermissione (inquit) orate, & Christus Luc. 18. Oportet semper orare, id est, benè facere. nam quoties benè facimus, toties oramus, quoties bonum cogitamus, loquimur &c. hoc dicitur semper orare. Qui est in arte mechanica fideliter laborâs pro enutritione vxoris & filiorũ, orat: item qui benè præest officio, quiq; zelosè prædicat, aut iniunctum munus rectè exequitur, hic orat: & qui à peccatis cessat, pauperibus benefacit, & opera charitatis exercet, hinc orat: quod probatur ex scriptura Eccl. 35. Deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia, &c. Qui conseruat legem, multiplicat orationem. & Psalm. 144. Voluntatem timentium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & saluos faciet eos. Vndè D. Hierony. in Psalm. 54. Qua ratione intellige ò homo, quia nisi pura conscientia deprecaris, à Deo prorsus non exaudieris &c. Deindè in oratione est res aliqua & quidè iusta petenda: nam ibi profitemur, Deum esse authorem & datorem bonorum, nosq; respici à Deo, & hoc est cultus Dei, quem exigit à nobis. Iubet ergò scriptura petere spiritualia & corporalia beneficia, vt patet in oratione Dominica; deindè pro publicis & priuatis calamitatibus. Pro publicis, vt Ecclesia liberetur ab impietate, scandalis, mala doctrina, &c. vt nomen Domini verè cognoscatur & sanctificetur, vt suum regnum in nobis inchoetur, & Diaboli destruat, vt Deo obediamus, & in tali genere vitæ viuamus quod Deo placeat, sicut Angeli in cælo obediunt & viuunt: item, vt multi se ad Christi fidè conuertant & saluentur, Rom. 10. Insuper pro Republica & Regibus & fideli administratione, vt pastores & reges faciant officium suum: item pro conseruatione discipli-

discipli-

disciplinarum atq; morum, ne iuuentus lasciuetur: itē pro victu & ceteris bonis corporis, vt panis quotidianus nobis detur, id est, victus & cæt. vt foeliciter nobis res succedant, vt remittantur omnibus peccata sua propter nomen Christi, vt non sinat nos induci in tentationem aut desperationem: nam Diabolus sicut leo rugit & circumit, vt tandem nos liberet ab omnibus nostris iniquitatibus & calamitatibus ac miserijs præsentis vitę, vt donet nobis vitam & iustitiam æternam. Hęc pro publicis calamitatibus oramus. Sunt etiã priuata pericula varia corporis & Spiritus, & sunt insidię variij generis: flectit enim Satan animos hominum ad flagitia, cędes, seditiones: Sunt infiniti casus, morbi, exilia, vt eò vehementius petamus Dei auxilium: & quoniam varia beneficia etiã ignorantibus nobis conferuntur, (nam infinitis periculis opprimeremur, nisi diuina providentiã custodiremur) ob id petitionibus semper addere debemus gratiarum actiones, vt sicut precamur & rogamus accipienda, ita pro acceptis gratias agamus. Postremò requiritur ad orationem fides, quę certò statueret nos placere DE O propter Christum, etiã si adhuc in nobis hæreant aliqui morbi: ob id imperfectio nostra non debet nos impedire ab oratione: nam ideò Christus iubet nos petere in nomine suo, Ioan. 16. vt sciamus nos nō exaudiri propter nos vel nostram dignitatem, sed opus habere pontificis Christo, vt propter illum exaudiamur. Sic quoq; Ecclesia collectas concludit. Hęc fides in Christum, facit personã nostram Deo acceptam & iustã: ob id preces quoq; placent orantis, & certò exaudiuntur propter ipsum Christum: ideò ipse affirmat Ioann. 16. vt simus certi propter ipsum nos exaudiri, ideò in nomine eius petere debemus. Est oratio incensum diuinę miserationi offerendum: nã sicut thus super carbones positum, dat odorem suauẽ: ita oratio nostra incensã

Incensa super carbones deuotionis, fragrat in conspectu Dei. Ideò Dauid orat: Dirigatur Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, id est, placeat sicut redolentia boni odoris &c. item oratio est quasi scutum diuinæ indignationi obijciendum. Sicut enim scutum prohibet ictum sagittæ, ita oratio nos seruat à vindicta Dei atque irâ. Sapi. 18. dicitur de Aarone, quòd proferens scutum orationis, restitit irâ diuinæ. Tertio, Oratio est quasi tributum Dei, eius damnationi offerendum. Matth. 22. Date Deo quæ Dei sunt, & Cæsari quæ Cæsaris sunt. hunc enim à nobis exigit Deus, quia Dominus noster est, &c.

CAPVT VI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit ieiunium Christianum.*
2. *Vndè fiat quòd certis diebus ieiunamus, & à quibusdam cibis abstinemus.*
3. *Quomodo ieiunio nobis Deum placamus.*

DRimò, ieiuniū Christianum, est moderatus ciborum & potuum vsus, omnitempore durans ad laudem & gloriam Dei. Luc. 21. Attendite ne corda vestra grauentur crapula &c. Deindè est ieiunium spirituale, & illud est abstinentia à malis cogitationibus & ira cordis, à maledictione, cōuicijs, immunditia sermonis, falsis testimonijs &c. Et abstinentia à luxuria, à superbia, ab accedia, inuidia, &cæt. & hoc ieiunium spirituale maius est, quàm externum: minus est enim peccatum, comedere carnes in feria sexta, quàm fornicari aut maledicere, sicut dicit Esaias 58. Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra praua, & ad lites & contentiones ieiunatis, &cæt. Porrò est ieiunium Ecclesiasticum, quod certis

certis diebus & caussis est institutum ad humiliatio-
nem coram Deo & disciplinam corporis. Sic regina
Hester ieiunat tribus diebus & noctibus, & liberatur
cum populo, capit. 4. Sic ieiunârunt Niniuitæ, Ioan.
3. Sic Iudith, 4. & 8. Sic ob speciales causas & tribula-
tiones sæpè leguntur sancti ieiunâsse: nam hoc Deus
sic iubet per prophetam Ioel. cap. 2. Conuertimini ad
me in toto corde vestro, in ieiunio & fletu & planctu,
& scindite corda vestra, scilicet à prauis vitijs & co-
gitationibus separate, & non scindite vestimenta ve-
stra, &c. Secundo ieiunamus in vigilijs sanctorum
Apostolorum, & festiuitatum Christi, ac beatæ virgi-
nis propter vigilias, quæ cõmutatæ sunt in ieiunia:
olim enim ex eo quia Christus in media nocte natus
est, & quia Christus increpauit discipulos, quòd non
vna hora cum ipso vigilarent, Matth. 26. & propheta
Psal. 118. confitetur se media nocte surrexisse &c. so-
lebat populus pernoctare in templis ad sepulcra Mar-
tyrum, idque ea nocte quæ præcederet festiuitatem,
sacrosque cantabat hymnos & psalmos. Sed quoniã
Sathan regnare cœpit, & carnalitas in populo cre-
uit, ita vt & matronæ corrumperentur, & aliæ leui-
tates fierent: deindè quia etiam Vigilantius hæreti-
cus inuehebatur contra huiusmodi vigilias, ideò vi-
sum est Patribus mutare illas in ieiunia. Vndè adhuc
in Sanctorum vigilijs ieiunamus. Insuper quoniam
Ioan. Baptista commendatur à Deo ob vilitatem ci-
borum Matt. 3. quòd ventrem exaturauit non elixa-
tis & assatis carnibus, sed melle syluestri & locustis,
vinum & siceram non bibit: Et tres pueri nolebant
cibo regio exaturari, sed leguminibus, Daniel. 1. & e-
rant Deo accepti. Sic multi sancti olera tantum & ra-
dices manducabant &c. ideò vt minor esset occasio
ad peccatũ, patres lauiora cibaria prohibuerunt his
qui sani erant: quosdam autè necessitas & infirmitas
excusabat, & sic ex deuotione & bono ordine à pa-
tribus

tribus sancitum est: sic ieiunia quatuor temporū anni, item quadragesimæ, & Aduentus Domini ordinantur: & negari nō potest quin hæc abstinētia placeat Deo, sicut patet in Ioanne Baptista & tribus pueris: sed nostris his temporibus regnat ille *fraßdeufel* qui decepit primos parentes in Paradiso. At inquit Carnales Euangelici Matth. 15. Quod intrat in os, non coinquinat hominē, & cibus nos nō commendat Deo, Roman. 14. est enim omnis creatura sanctificata. Respond. Nemo catholicorum dicit cibum esse malum, est enim bona Dei creatura, nec pomum fecit peccatum in Adam & Eua, sed contemptus diuini præcepti: nam ex corde exeunt mali cogitatus, qui coinquinant hominem, cibus non prohibetur vt malus, sed abstinētia illius ad certum tempus, ad laudem Dei & castigationem corporis præcipitur. Si Hester potuit iniungere toti populo ieiunium per tres dies, & rex Niniuæ populo & iuuetuti, cur hoc idem non posset tota Ecclesia? Humiliatio mētis hīc quaeritur, non cibi simpliciter prohibitio. sciebat Ioann. Baptista in cibis nullum esse peccatum, Matt. tertio. abstinuit autem à lautioribus, & vilia gustauit. Sciebat Timotheus quod non esset peccatum, vinum bibere: abstinuit tamen, aut saltem modicè gustauit, ob crebras stomachi infirmitates: abstinuit & Daniel & pueri à cibo regio, etsi sciebant eum non malum esse: abstinuerunt Rechabite à vino, quod tamen sciebant non esse malam creaturam & cæt. Sic vbique scriptura commemorat & laudat huiusmodi abstinētia & obedientiam, quod Deo placeat. Est quoque ieiunium subtractio superfluitatis, sicut ollæ subtrahuntur ligna ne supereffluat: sic est abstinētia. Est quoque ieiunium hypocriticum, quod fit propter homines Matth. sexto. Cū ieiunatis &c. & quando parcè viuitur ob auaritiam, Ecclesiast. sexto. Vir cui dedit Deus substantiam &cæt. Est quoque laudabile

Dan. i.

Hier. 35.

L L ieiunium;

ieiunium, quod fit ad laudem Dei in abscondito, Mat. sexto, & hoc Deo placet & habet suam promissionem. Vulgò dicitur, fames expellit lupum ex nemore: ita abstinentia & ieiunium fugant diabolum ab homine. Marc. 9. Hoc genus demoniorum non eijcitur, nisi in oratione & ieiunio. Sed totum ieiunium dicitur, quando non vna parte (scilicet abstinentia tantum cibariorum) ieiunamus, sed quando etiam totum corpus nostrum retinemus & abstrahimus à voluptate carnis, & cor nostrum à prauis desiderijs &c. Tale ieiunium, quod cum externo est coniunctum, exigit Christus. Postremò negari non potest, quòd verum ieiunium sæpè placauit Deum, vt non fuerit secuta pœna aliqua vel tribulatio: non quòd ieiunium nostrum possit satisfacere pro culpa & pœna eterna. hoc enim solū transfertur in Christum. Esai. 53. In eo posuit patet iniquitatē omnium nostrum. Sed de pœna temporaria, quam Deus sæpè imponit propter peccata hic in presenti vita. Sic placarunt iram Dei filij Israel congregati in Masphat, 1. Reg. 17. admonente Samuele ieiunarunt, &c. & percusserunt Philistinos atq; vicerunt. Sic rex Achab impetrauit veniam, quando ieiunauit, & ambulauit demisso capite, dormiuitq; in sacco, cū audiret terribilem Heliae prophetæ cōminationem, 3. Reg. 21. Sic Ninuitarum placant Deum, ne pœnā illis immittat. Ideò & Christus ieiunauit & triumphauit, ieiunauit & Moyses cū esset locuturus Domino. Vnde Apostolus admonet 2. Corint. 6. Exhibeamus nos sicut Dei ministros in ieiunijs & vigilijs multis &c. In omni ergò pressura veteres, quò mitigarent flagellum Dei, atq; hostes suos superarent, confugerunt ad orationem, ieiunium, eleemosynā, eo quòd hæc tria omnia alia bona opera in se comprehendunt, & Tob. 12. dicit: Bona est oratio cum ieiunio & eleemosyna, magis quàm thesaurizare aurum: & tunc quodlibet horum operum efficax est, quando hæc tria sunt coniuncta,

sancta, & quoties patres dixerunt, orationem, ieiunium & eleemosynam satisfacere pro peccatis, intellexerunt pro pœna peccatorum, id est, mitigatione calamitatum, quas quotidie meremur propter nostra vitia, &cæt.

CAPVT VII.

ARGVMENTA.

1. *De peccato superbia, & quid sit.*
2. *Quæ damna adferat homini superbia.*
3. *Quantum punitur à Deo, & semper punita est.*



Augustinus libro 2. contra Manichæum inquit: Supbia est præsumptio, qua quis foris vult videri, quod intus non est in secreto conscientie: id est, superbus vult videri iustus, sapiens, doctus, religiosus, potens, &c. attamen non est in conscientia, idè superbia est peruersus celsitudinis appetitus. hanc prohibet Apostolus ad Rom. 12. Non alta sapientes, sed humilibus consentientes. Hæc superbia mater & principium omnis peccati dicitur Eccle. 10. & qui tenuerit eam, implebitur maledictis, i. vitijs. Consistit autem superbia & notatur in mente, ore & opere: mente, quando quis neminem sibi parem aut similem reputat: inuidet præstantioribus, quia illis nõ æquatur: inferioribus inuidet, ne ei æquentur: paribus, quia ei æquatur. Sed inquit Deus: Memento homo quia cinis es & puluis, & in terrâ reuerteris, Gen. 3. Chryso. in Matt. hom. 78. Proficiscamur ad sepulcra: vbi purpura? vbi pecunia, vehiculū, stipulatio satellitum &c? nihil hîc nisi ossa &c. Secundo in verbis, quibus notatur superbia. 1. Cor. 13. Si linguis loquar angelorū, & charitatem non habuero &c. charitas nõ est superba &cæt. Tob. 4. Superbiam nunquam in verbo tuo

ll 2 aut

aut sensu dominari permittas, &c. Tertiò in opere, id est, ornatu vestimentorum, potètia & luxu rerum, diuitiarum, &c. hæc in contemptum proximi nos exaltant, &c.

2. Secundò, multa damna adfert superbia homini: primò, quia homo priuat per superbiam Deum gloria sua, & sibi vsurpat & asseribit. Esa. 42. Gloriam meam non dabo alteri. Sed illam tamen furatur superbus Deo, quia vbiq; querit laudè suã, & nõ honorè Dei. in omni em opere bono duo sunt, honor & utilitas. Honor & laus Deo debetur, ppter què omnia debemus facere, Phil. 1. repleti fructu iustitiæ ad laudem Dei. utilitatè ac precium Deus nobis vult conferre, quòd si Deo furati fuerimus laudè, ipse priuat nos utilitate premij, idè docet Christus Lu. 17. Cum omnia feceritis &c. deindè superbia priuat nos fauore & gratia ac misericordia Dei. Iacob. 4. Deus superbis resistit, nõ fauet nec diligit, sed humilibus dat gratiam. Cõtingit enim superbis sicut mõtibus Gelboe, 2. Reg. 1. quos nec ros, nec pluuia tangit ex maledictione Dauid, & in eũ finè dixit Hugo: Superbia auferit mihi Deum, inuidia proximũ, ira memetipsum. Postremò, superbia filium Diaboli facit, sicut humilitas filium Dei. Vndè propheta Iob 41. Ipse est rex super oēs filios superbiæ. Igitur sub illius regno sunt oēs superbi: què ergò superbum videris, filium Diaboli esse nõ dubitabis. Est ergò & hominibus odibilis superbia, Eccles. 10. & in omni loco, in omni tempore & in omni persona non quiescit: est enim in templo, in vario ornatu, in diebus festiuis, quando homo se exornat, & tunc omnem personam quantumcunque etiam religiosam & deuotam reuelat &c. Fugienda est itaque ceu venenum animæ.

3. Tertiò, damna superbiæ atque punitiones varias legimus. Quid expulit de cœlo Luciferũ, nisi superbia? nam dixit, Exaltabo solium meum, & similis ero altissi-

Esa. 14.

altissimo, &c. Ascendit hodiè & exaltat solium, quicunque sapientiam, iustitiam, salutem sibi aut suis operibus tribuit: vult enim sic similis esse Deo, nec audit quod dicit Apostolus 1. Cor. 4. Quid habes quod non accepisti &c & Psal. 113. Non nobis Domine, nō nobis, sed nomini tuo da gloriam. Omnis ergo qui sic se exaltat humiliabitur, Luc. 14. Sic superbia de propria iustitia adimit omne prēmium. Deindè quid expulit de Paradiso Adamum & Euam, Genes. 3. nisi superbia? audierunt enim serpentem, qui dixit, Eritis sicut Dij: quam excellentiam cupiebant, & ideò mandatum Dei sui transgressi sunt: & ecce priuantur parentes bono paradisi, quod iam possiderunt. sic hodiè priuantur & depauperantur honoribus, diuitijs, dignitatibus superbi & elati homines, quia gratias Deo non agunt, nec se agnoscunt, sed ambulāt in vanitatibus suis. Sic dixit Samuel propheta ad Saul regem 1. Reg 15. Cūm esses paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: Sed quia piecisti sermones Domini, proiecit te Deus, ne sis rex in Israel. Sic superbia non placuit Deo ab initio, Iudith. nono. Ideo non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus bonis nos priuat superbia, neque vnquam Deus assistit superbis. Insuper Hamam superbus qui volebat vt omnes genua coram ipso flecterent, quàm turpiter perijt, vt legitur Hester 7. item libido dominandi in Ieroboam, qui potius volebat populum recedere à vero D E O, quàm à suo dominio, qualiter punita sit cum tota familia sua, patet 3. Reg 12. Rex Sennacherib Assyriorum, qui dixit Ezechia regi Iudæorum: Neque Deus neque homo poterit te liberare de manu mea: quem finē accepit eius superbia, patet 4. Reg. 19. ipse Deus est qui nouit potentes superbos deponere de sede, & exaltauit humiles, Lu. 1. Volebat Holofernes totum mundum sibi subiugare, sed Deus per deuotam fœminam Iudith eum interfecit, Iudith. 13.

Summa superbia in nobis existente, omnis vita & actio nostra fit immunda, etiamsi sobrietatem, si virginitatem, si ieiunium & orationes & elemosinas habuerimus, aut quęcunque alia perfecimus. Ideo vulgò dicitur:

*Si tibi laus, sapientia, forma & copia rerum,
Inquinat hæc sanè comitata superbia cuncta.*

Fugienda est itaque superbia quàm maximè, quæ omnia demolitur & dehonestat: habet quoque quatuor species secundum Gregorium: Prima est, quando homo attribuit sibi bonum quod habet. Secunda, quando homo etsi non sibi, sed tamen suis meritis tribuit bonum. Tertia, quando iactat se habere, quod tamen non habet. Quarta, quando se existimat alijs prauelere & esse meliorem &cet. Contra superbiam autem valet memoria rerum nouissimarum, vt scriptura admonet Eccl. 7. Memorare nouissima tua, scilicet mortem, iudicium extremum, infernum, regnum celeste, & non peccabis. Sunt enim superbi similes vestimenta, quæ vno ictu puncta euanescent. Sic superbus exigua infirmitate. Sunt quoque similes sepulchris dealbatis, cum foris sint pulchrè ornati vestitu precioso, intus autem anima mortua foeteat. Similes etiam galinæ, quæ cum ouum excubauerit, cantat: ita superbi si quid boni operis fecerunt, volunt audiri ab omnibus, &cet.

CAPVT VIII.

ARGVMENTA.

1. *Quomodo scriptura prohibeat superbum ornatum vestimentorum.*
2. *Quam graue peccatum sit.*
3. *Quomodo puniatur à Deo.*

Primo

Primò inquit Apostol. I. Tim. 6. Habentes alimèta & quibus tegamur, his contenti simus: nam hæ sunt diuitiæ Christianorum, quia nos speramus meliora in cælo. gètes verò sollicitæ sunt de auro, argèto, precioso ornatu & vestitu. Ideò nos Christus primùm querere iubet regnū Dei & iustitiā eius, id est, virtutes, fidem, timorem, dilectionem, misericordiam, patiētiam, &c. & alios fructus spiritus, Gal. 5. Hæc sunt ornamenta animæ atq; Christianorum. Mundus & Gentes sollicitæ sunt de ornatu vestimentorum. Eccl. 1. In vestitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera Dei: multi tyrāni sederunt in throno &c. cōfusi sunt, & exiguus portat diadema. Christus quoq; nos dehortatur à tali superbia ornatus ac vestimentorū. Mat. 6. Quid solliciti estis de vestimētis? videtelilia agri, quæ nec ferunt, nec laborant &c. amen dico vobis, quia Salomon in omni gloria sua &c. item Ioannes Baptista commendatur de vestitu, Matth. 3. quia Deo placuit, &c. Secundò, quòd graue sit peccatum, patet Sophon. 1. Visitabo super principes & super filios regis, qui induti sunt veste peregrina. Vestis peregrina sunt isti varij modi vestimentorum, fimbriarum, quibus nobiles præcipuè vtuntur. Materia autem primæ vestis in Paradiso, fuit de pellibus, Gen. 3. deindè ventum est ad laneas vestes, quæ leuior est quàm pellis: postea processum est ad cortices herbarum, i. linum. porrò ad stercora vermiū bombycum, id est, sericum: postremò ad aurum, id est, vestimenta aurea, & ex argento ac lapillis preciosis compacta. & quòd tandē non excreuit superbia hominū & luxus? quem Deus nullo modo præcepit, sed potius prohibuit. Si cuculla monachi non est præcepta, quæ humilitatis & pœnitentiæ causa genitur, doce tu, ubi licita sit in sacris literis tanta vestimentorum superbia &

bia & luxus mundi. Gregor. Nemo, dum solus est, curat preciositatem & cæt. Displicet igitur Deo tanta pompa vestimentorum. Vndè proditum est in hislorijs, quòd primus qui utebatur veste purpurea inter Romanos, fulmine est percussus. Sic diues epulo qui damnabatur, dicitur purpura fuisse vestitus. Apost. 1. ad Tim. 2. Mulieres (s. Christianæ) in habitu & ornatu honesto, nō meretricio, incedere, & cum verecundia & sobrietate se ornare debēt & c. Item Bernardus ad Henric. Episc. epist. 42. de luxu & superbo vestitu sacerdotū inquit: Cernitur in sacerdotibus quibusdā vestium cultus plurimus, nullus autē virtutis, fidei, charitatis, tēperantiæ, timoris Dei & c. At inquirunt: quid monachi iudicant Episcopos & sacerdotes & c. Resp. Paul. 1. ad Tim. 2. clamat, Non in veste preciosa, Si inferioribus (id est, mulieribus) prohibetur, quantum magis superioribus? Claudere, inquit, vis mihi os, ne loquar, quando oculi apertè vident tuā superbiam & auaritiam, aures audiūt tuam luxuriā? etiamsi ego tacuero, clamant turbæ pauperū: quid annuli in manibus? quid scyphi argentei in mensa? quid varietas vestimentorum? quid sumptuosa ædificia domorum? quid multitudo seruatorum? vt intereā taceam de apertis meretricibus, nunquid hæc omnia expellunt nostram esuriem, tegunt nostrā nuditatem? nostri enim estis raptores & c. Duo ergò mala ex vestra pompa veniunt: nostra spoliatio, & vestra dānatio clamat conscientia vestra, etiā me tacente, quia hæc Ecclesiæ bona quibus impinguati estis, non manuū labore neque iure hæreditario, sed de pane Christi possidetis, qui vos iussit pauperum habere curam. Licebat cuique iuxta statum & conditionem suam honesto vti habitu, sed vana curiositas in spiritualibus & sæcularibus est arguenda, dum inferiores se adæquant superioribus. Ad quid tot scissuræ, tot colorum varietates, ac modi vestimentorum? Non erunt sine peccato &

qui

qui faciunt ea, & qui deferunt. Gerson parte 4. in sermone de reddendo debitum: Hoc peccatum maximè omnis prædicator debet corrigere, & nunquam cessare, quia nunquam sufficienter potest argui, nempe ornatum & superbiam vestimentorum & maximè mulierum, est enim Eua naturaliter superba, Genes. tertio. atque ideò rectè faciunt magistratus qui legem ponunt inter status de ornatu vestimentorum. Sed cui similis est mulieris ornatu, nisi sepulchro dealbato, Matthæi 23. feretro, in quo iacet anima mortua & cæcæ: ideò Deus signanter dixit homini, ne superbiret, Genes. tertio. Memento quod pulvis es. Postremò, quomodo Deus punierit huiusmodi vanum ornatu, patet multis exemplis scripturæ. Iezabel depinxit oculos suos stibio, & ornauit caput suum, audito aduentu Iehu: sed deicitur, & pedibus equorum conculcatur, & à canibus dilaceratur, 4. Regum 9. Herodes statuto die venit vestitus veste regia, & sedit pro tribunali, & concionabatur ad populum, & populus acclamabat Dei vocem esse, & non hominis: confestim percussit eum Angelus Domini, & cæcæ. Actorum 12. Esai 3. dicitur hoc peccatum fuisse punitum destructione Hierosolymæ, Et erit, inquit, pro cingulo argenteo restis, pro ornatu capitis caluitium & dolor, pro annulis & catenis vlcera & pustulæ, pro odore fætor, pro pulchritudine cinis, pro speculo fletus oculorum & rubedo, pro stibio cutis pendula & cæcæ.

Vndè veniat quòd mulieres præcipuè sunt supbæ

CAPVT IX

ARGVMENTA.

1. *De peccato auaritia, & quid sit.*
2. *Quæ mala sequantur ex auaritia.*
3. *Quam miserè pereant & puniantur auari.*

L L 5

Apo-

I.



Post. 1. ad Tim. 5. inquit, Radix omnium malorum auaritia, id est, cupiditas pecuniae seu bonorum temporalium: ex hac radice inuidia, homicidium, mendacium, periurium &c. nascuntur tanquam ex fonte. ad Col. 3. inquit: Auaritia est simulacrorum seruitus, & Ephe 5. dicit, quod sit idolorum seruitus, vbi Apostolus maximè assimilat auaritiam idololatriam, & hoc eam ob causam secundum Chrysostomum homil. 15. super Hebr. quia auarus deridet comminationem Dei Matt. 19. Facilius est ire camelum &c. Contemnit patrem, matrem, propinquos, benefactorem &c. nullum curat, nec ipsum Deum timet, saltè ut habeat lucrum & pecuniam. Matth. 6. Vbi thesaurus tuus, ibi & cor tuum: nulla fiducia in Deo, sed in nummis. & ideò dicit Chryl. quod vnus auarus peior est mille dæmoniis. Nam Diabolus solum suo malo laborat, sed auarus communis ærumna est ac damnus totius ciuitatis & patriæ. facit enim per suam auaritiam, vt frumenta, vina, elocationes domorum & omnia fiant cari precij, vnde rectè increpat eos Sapiens Eccl. 10. Auaro nihil est scelestius. Ideò & Christus inquit, Lucae 12. Cauete ab omni auaritia, quia non in abundantia cuiusquam vita eius est, ex his quæ possidet. & Christus dixit similitudinem. &c.

2.

Secundò, multa mala sequuntur ex auaritia, sicut inquit Apostolus, 1. Tim. 6. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos Diaboli, & in desideria multa & inutilia & nociua. Porro, hæc mergunt homines in interitum & perditionem. sic Iudas auaritiæ laqueo fuit illaqueatus, vt proderet Dominum, Matth. 26. ita & gentilis Poëta dixit,

Æneid. 6.

Vendit hic auro patriam. &c.

Amor enim pecuniæ perdit regna, ciuitates, corrumpit Iudices & Iuristas. Sic Balaam captus fuit laqueo auaritiæ,

auaritię, vt malediceret filijs Israēl, Num. 22. hinc etiam
 accepta pecunia sicarij occidunt homines, nō ob
 odium, sed ob lucrum. Sic meretrix Dalila Samsonē
 fortissimum prodidit Philisteis ob pecuniā, Iudi. 16.
 Sic auaritia corrumpit falsos testes, quemadmodum
 fuerunt duo falsi testes producti contra Naboth, cu-
 ius vineam concupiuit rex Achab, & obtinuit iusti-
 tia Iezabelis, 3. Reg. 21. Et quis omnia mala recensere
 potest auaritię? ideo dixit ppheta Ps. 118. Inclina cor
 meum Deus in testimonia tua, & non in auaritiam.
 Apostolus 1. Timoth. 6. inquit: Nihil intulimus in
 hunc mundum, & nihil hinc auferre possumus. Ideo
 est moderanda cupiditas habendi. est enim auarus si-
 milis talpę, qui cum cæcus sit, modò hic facit cumu-
 lum, modò illic facit: & cum moritur, relinquit mul-
 tos hinc indè cumulos terrę: sic auarus hic extruit
 domum, illic domum: hic cumulat pecuniam, mox
 illic: hic habet negociationem, modò illic habet: &
 postea moritur, & relinquit alienis tot cumulos di-
 uitiarum, tot domos, & ipse in puluerem reuertitur:
 & timendū est, ne cum diuite epulone anima eius per-
 petuò damnetur. Quamdiu autem auarus viuuit, sem-
 per eget, & ingratus est erga Deum quasi nihil habe-
 ret: & cum satis habeat, tamen omnia sibi deesse vidē-
 tur: & ipsi tam quod habet, deest, quàm quod non
 habet: eo enim quod habet, vti non potest. vndè fit vt
 Deo gratias agere non possit. Sapiens dicit Eccl. 6.
 Vidi sub sole malum, & quidem frequens apud homi-
 nes: vir cui dedit Deus diuitias &c. & ibidem 4. cap.
 Vnus est, & secundum non habet, non filiū, non fra-
 trem, & tamen laborare non cessat, nec satiantur ocu-
 li eius diuitijs, nec recogitat, dicens: Cui laboro, &
 fraudo animam meam bonis &c?

Tertio, Christus inquit Luc. 6. VAE vobis diuiti-
 bus qui hic habetis consolationem vestram. & Iaco.
 5. Agitè nunc diuites, (ironia est) lætamini in volu-
 ptate

ptate vestra, quia plorabitis tempore suo, & vlulabitis in miserijs vestris, quæ aduenient vobis, sed post mortem diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, &c. aurum & argentum vestrum æruginauit, id est, ærugo eorum vobis in testimonium erit, quia illud abscondistis in terra & cista, & manducabit carnes vestras, scilicet in pœna æterna, sicut ignis æruginem auri &cæt. Congregâstis vobis iram Dei thesaurizando, id est, vindictam Dei nouissimis diebus. & vltra inquit, Ecce merces operariorum qui messuerunt regiones vestras, qua fraudâstis eos, clamat, & clamor eorū in aures Domini Sabaoth introiuit. Scriptura enim tria peccata cōmemorat, quæ specialiter dicuntur clamare ad Deum de terra, nempè occisio innocentis, Genes. 4. deindè vitium contra naturam, Genes. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæ. Tertio, pauperum defraudatio, & detentio mercedis mercenariorū, quandò fraudantur sua mercede, vt videndum lac. 5. In veteri testamento seruus Helisæi Prophetę, qui à Naaman ex auaritia accepit munera, læpra fuit percussus, 4. Reg. 5. In nouo testamēto Ananię & Saphirę vxoris auaritia grauissimè fuit punita. Sep̄e enim vita diuitū auarorum improuisa aut mala morte abbreviatur, dum nimium æstiuant pro diuitijs acquirendis, ne plus peccent vel pauperes grauâdo, vel semetipsos condemnâdo, & in peccata precipitando: nam iuxta Christi sententiam, Matt. 19. diues difficilè introibit in regnum cœlorum, facilius est camelum &c. & Paulus Eph. 5. nullus auarus introibit in regnum cœlorum, &c. Diuitiæ autē ex se in suâ natura, sunt dona & creaturę Dei bonæ, si saltem legitimus illarum sit vsus ad laudem Dei, corporis, necessitatem, sine grauamine proximi. Sic Abraham, Dauid, Salomon, Zachęus & alij fuerunt diuites: sed si quis indè efficitur superbus, voluptuosus, epicureus, nullam habens curā proximi vel pauperum, solū

se enu-

se enutriens in delitijs carnis. Dauid dicit, Diuitiæ si affluant, nolite cor apponere. Ideò docuit Apostolus 1. Timoth. 6. inquit: Diuitibus huius sæculi præcipe, non sublimè sapere, neq; sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis abundè omnia ad fruendum, benè agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam.

CAPVT X.

ARGVMENTA.

1. *De usura & mutuo, quid sit.*
2. *Quam graue vitium sit in homine Christiano.*
3. *Quomodo punitur à DEO & ab Ecclesia.*



Christus dedit præceptū, Luc. 6. Matth. 5. **1.** scilicet quòd in necessitate proximi ex Christiana charitate quis succurrere & iuuare debet proximum, inquit: Mutuum dantes, id est, leyhet, nihil indè à mutatione sperantes lucri. Et iterum, volenti à te mutuare, ne auertas te ab illo. Hic præcipit Christus, vt proximum nostrum iuueamus sine lucro nostro, nihil ex mutuo sperantes. Est autem usura, lucrum intentum principaliter ex mutuo: vt si propter lucrum accommodas pecuniam proximo, non respicis ad necessitatem & charitatem erga proximum, si accommodas ei aliquid pecuniæ, & quotannis accipis censum, donec summa redimatur: hoc est contra Christi præceptum & charitatem proximi. Si vis esse Christianus & dici, nihil debes sperare ex mutuo. Sic Deute. 23. scribitur: Fratri tuo absq; usura id quo indiget, accommodabis, vt benedicat tibi Dominus in omni tempore, hoc præceptū strictè obseruanè

seruanè

seruant Iudæi, scilicet quòd Iudæus cum Iudæo nullam vsuram committit, sed cum Gentibus & nobis Christianis, idè peiores sunt Christiani vsurarij ipsi Iudæis, qui vsuram faciunt cum fratre Christiano, sine omni metu & timore Dei, & habet hoc præceptum Dei etiam tuam promissionem, scilicet vt benedicat tibi Dominus in omni tempore tuo. Deus enim vult esse remunerator illius operis tui, si gratis mutuas fratri tuo: nempè vult te benedicere in substantia, rebus, familia, agris, horreis in omni tempore tuo &c. Ergo tu nihil sperare debes à proximo tuo propter Deum & Christum, qui hoc ita præcepit, & talis mutuatio vel accommodatio debet fieri gratis, vt Deo hoc præcipienti, & tibi bona promittenti obedias. Vnde deant ergo qui vinum, frumenta, & id genus mercimonia vili precio, quandò fertilis est annus, coëmunt, & si quandò proximum ob necessitatem vrgentem videant suam supellectilem ac bona vendentem, exigua pecunia ab ipso emunt, & ipsi hæc referunt, ita vt in futuro multo cariùs & duplò plus illa vendant alijs, fœnerantes, proximum suum non curantes, nec rationem paupertatis ipsius vel necessitatis, immò nec pietatis habentes. Est enim auarus Diabolus mille artifex in rebus vsuræ, qui etiam suos laqueos extendit mille modis, vt proximum & communitatem fraudet. quarè Paul. 1. Tim. 6. rectè dixit, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueos Diaboli, & desideria multa & inutilia, quæ mergunt homines in perditionem. Secundò, vsura peccatum est grauissimum contra Dei præceptum Ex. 20. Non furtum facies. sunt enim vsurarij subtiles fures, & aperti deceptores, & impostores: fur occultus suspenditur ob rem exiguam furto sublatam, illi autè in purpura & auro incedunt, & multo sunt maiores fures: plus nocent cõmunitati & toti regioni, quàm Prouer. 6. occulti & parui fures, qui (vt Sapiens ait) aliquandò furantur

ſurantur vt eſurientē impleant animam: illi autem cū ſint ſine punitione & in magno precio, ſimiles ſunt vermibus in nuce vel pomo deuorantibus, & exhaurientibus omnem ſubſtantiā: ſic uſurarij torius Reipub. ſubſtantiā ad ſe trahere nituntur: & ibi nullus timor Dei, nulla conſcientia. Tales vocat Apoſtolus Eph. 5. idololātras, id eſt, infideles: quia tota mente & deſiderio æſtuant pro coaceruandis pecunijs: non enim cogitat aut terrerur de futura pœna æterna, nec Deo fidit, vel curam ſuam in illū iactat, vt iubet ſcriptura, ſed tantum fidit ſuis technis & negotiationi, nec propriam curat conſcientiam, quæ illū ſæpè arguit, neque ius naturæ, quod docet: Quod tibi vis fieri, alteri feceris: nec leges imperiales, quæ uſuram illicitam prohibent: quare omnis uſurarius infidelis & ſeruus idolorum, id eſt, pecuniæ & mercium ſuarum. Iuſta negotiatio nō prohibetur, modò ſemper habeatur reſpectus bonę conſcientiæ, atq; neceſſitatis & charitatis erga proximum.

Tertiò, grauiffima pœna pleſtentur uſurarij in hac, & poſt hanc vitam à Deo & Eccleſia eius. eſt enim Deus vindicator pauperum. Sic dicit Propheta Pſal. 71. Iudicabit Dominus pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Ergo commūniter malā morte decedunt, aut ſeipſos ſuspendunt, & eorum filij paulatim depauperantur: nam iuxta dictum iuridicum,

De malè quaſitis non gaudet tertius haeres.


Dauid dicit Pſal. 14. Quis habitabit in tabernaculo tuo, &c. reſpondet, Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram. Ergo qui uſuram facit, is non introibit in tabernaculum Domini. Et Paulus Eph. 5. dicit tales non poſſeſſuros regnum Dei. Quare certiffima dānatio manet uſurarios, quod antè omnia pōderare debēt. Insuper iura varias pœnas ſtatuūt uſurarijs.

Prima

Prima est, quòd omnis vsurarius est excommunicatus, extra de vsuris lib. 6. c. vsurarum voraginem: Altera est, quòd non debet recipi ad Christianam sepulturam, cum in peccato vsuræ decesserit, eodem titulo, c. in omnibus. Tertia est, quòd non debeat absolui à peccatis, nisi priùs de vsuris satis fecerit, vel idoneam præstiterit cautionem. Quarta, nullus vsurarius testamentis interesse debet, neq; eleemosyna grata est Deo. nam Eccl. 9. dicitur: Qui offert de rapina pauperis &c. Sed inquires, cur non commodum meum prouideam? an non melius vsurari, quàm furari, vel rapere, vel alio modò proximo damnum inferre? Respon. Deus est verus omnium rerum Dominus, iuxta Psal. 23. Domini est terra, & omnis plenitudo eius: ille iubet dare mutuum de illis suis bonis, & nihil inde sperare: quando nunc, seruis rerum temporalium nõ debito negociatur cū illis bonis Domini Dei sui, aut contra illius voluntatem, fit vt peccet quàm grauissimè. Negociari licet, sed sine fraude & dāno proximi: & paucis esse contenti, vt & proximus noster aliquid habeat &c.

CAPVT XI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit peccatum luxuria, & quot modis committatur.*
 2. *Cui similis sit luxuriosus.*
 3. *Quam graue peccatum sit luxuria, & quòd damna grauissima mereatur.*
- i.  Vxuria est voluptuosus appetitus & opus carnis, coinquinans mentem & corpus. Omnia enim peccata potissimum maculant animam, nempè superbia, inuidia, auaritia &c Sed luxuria corpus & animam maculat, ideò Apostolus inquit: Qui fornicatur,

pus suum peccat &c. & Aristoteles gentilis Philosophus dicit, quod luxuria est destructio corporis, & abbreviatio vitæ, senectus inducitur, & mors appropinquat: Ideo coinquinat corpus & animam quæ redditur immunda coram Deo. Committitur autem tripliciter luxuria, cogitatione, verbo, & opere, & in vnoquoque; grauissime peccatur. Primò, cogitatione. Mat. 5. dicit Christus, Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo: hoc pro adulterio reputatur, nam ibi mens atque voluntas, si moretur in ista cogitatione & concupiscentia, fit adultera, & huiusmodi peruersæ cogitationes separant à Deo, Sap. 1. committunt luxuriam mentis: Exigua res est castitas corporis, ubi voluntas voluptuosè deliciatur in ardenti desiderio: grauissima hæc est luxuria, & quidem admodum communis in omni hominum statu: ita ut vix vnus inter centum inueniri possit, qui primum lapidem iaciat, Ioan. 8. Deinde committitur verbis, sicut testatur apostolus Ephe. 5. & dicit: Turpitude verborum, aut stultiloquium, aut scurrilitas, scilicet coram virginibus & mulieribus, nec nominetur inter vos, id est, siue in verbis amatorijs, gestibus, amplexibus & osculis: omnibus hisce committitur luxuria, & grauior est præcedenti, & inquit Apostolus: Nemo vos seducat inanibus verbis, quasi hæc peccata non sint: venit enim ira Dei in tales filios diffidentia, scilicet qui non credebant esse peccatum hæc verba luxuriosa. Nolite igitur effici participes illorum, nam nullus talis habebit partem in regno cælorum. Tertiò committitur luxuria opere seu facto multis modis. Est enim simplex fornicatio soluti cum soluta, & hoc graue peccatum. Ideo Apostolus iubet nubere ad euitandam fornicationem, 1. Cor. 7. Adulterium grauius peccatum, quod Deus in suis præceptis inhibuit, Exo. 20. Non mœchaberis Incestus est cum consanguineis, sacrilegium est cum Deo consecratis

M M

stuprum

Suprum cū virginibus, raptus, quando violenter cō-
primuntur: est quoq; peccatum luxuriæ contra natu-
rā, quas species luxuriæ Apostolus I. Cor. 6. taxat, n-
quiens, quod nec fornicarij, adulteri, & molles, nec
mascuorum cōcubitores regnum Dei possidebunt:
hīc patet, quod omnibus speciebus luxuriæ denega-
tur regnum cœlorum, vndè liquet, quod grauissimū
sit peccatum.

2. Secundò, luxuriosus similis est homini vulnerato:
nam vulneratus vbiq; secum defert vulnus & sen-
tit dolorem. Sic vulneratus luxuria falsoué amore,
non habet quietem. Semper secum defert ardorem
luxuriæ, siue comedat, bibat, dormiat &cæt. semper
vulnus sentit, vndè Gentilis poëta describit mulierē
vulneratam amore.

Æneid. 4.

*At regina graui iam dudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.*

Est enim Sathan Cupido ille filius Veneris sagit-
tans, & tela sua, id est, ornatam mulierem aut elegan-
tem virum in corda hominum transfigens, & accen-
dens amorē carnalem & libidinem, quæ non sanatur
nisi gratia Dei liberauerit. Sic David vulneratus fuit
videns Bersabeam se lauātem, 1. Reg. 11. nam im-
pudicus oculus, impudici cordis est nuncius. Deindè
luxuriosus similis est equo sine freno, qui nihil boni
facit: ita est luxuriosus sine ratione, quasi insaniens
& furens, transiens quasi in somnio: omniū obliuiscit-
tur, dementatur, &c. Sic fuit infatuatus sapientissi-
mus rex Salomon amore mulierum, ita vt ad idolo-
latriam traheretur contra præceptum Dei sui, qui il-
lum ita exaltauerat, 3. Reg. 11. Sic hodiè multi regun-
tur & infatuantur à mulieribus. Postremò luxurio-
sus similis est vermibus in fimo equorum, in quo vi-
uunt, moriuntur, & putrescunt. Sic luxuriosi vitā a-
gunt in fimo luxuriæ, de quo Propheta Ioël 1. Com-
putrescunt

putruerunt iumenta in stercore tuo. Est etiam diabolus luxuriæ piscator ille, de quo Abacuki. Totum in hamo suo leuauit, totum traxit in sagena sua. ita capit luxuriosos hamo suo (*mit dem narrensey!*) & ligat etiam fortissimos terræ, vt Samsonem, Herculem, & alios &c.

Tertio, ex damnis & pœnis illatis peccato luxuriæ facile notari potest, quam graue & fœdum peccatum sit coram Deo luxuria. Horrenda enim exempla notat scriptura, & 1. Genes. 6. causa diluuij fuit luxuria, eò quòd (vt dicunt Doctores) mulieres supergressæ viros, illis abutebantur ob nimium ardorem &c. Similiter propter libidinem perièrunt funditus quinque illæ ciuitates cum adultis & paruulis. nam pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulfur &c. Pœnæ huius peccati & comminationes grauissimæ passim habentur in scriptura, Leuit. 20. Exod. 22. Numer. 25. vbi propter fornicationem populi principes suspenduntur, & occiduntur 24. millia hominum, item ob vitiatam vxorem Leuitæ occiduntur plusquam 18. millia hominum, vt patet Iudic. 19. & 20. item propter violatam Dinam virginem filiam Iacob, omnes masculi in ciuitate Sichimorum occiduntur. Sic Absoloni malè cessit sua fornicatio cum concubinis patris sui. In Euangelio Lucæ decimo quarto: qui vxorem duxit, non venit ad cœnam, id est, propter abusum luxuriæ &c.

3.

Genes. 34. 7

CAPVT XII.

ARGVMENTA.

1. De luxuriosa & inhonestâ chorea.
2. Quæ peccata regnent & fiant in saltatione:
3. Quomodo puniatur à DEO.

M M 2

Primò

1.

P

Rimò notandum, quòd scriptura commemorat honestas saltationes siue choreas, ad laudandum Deum factas in gratiarum actionem, pro victoria illis à Deo concessa. Sic quandò fuerunt liberati ab Aegyptijs, & transierunt mare rubrum, MARIA prophetissa cum cæteris mulieribus sumptis tympanis saltauerunt, dicentes: Cantemus Domino &c. Exod. 15. Sic post victoriam David & Saul cætarunt 1. Reg. 18. Saul percussit mille, & David decem millia. Sic David in reductione arcæ saltat, 2. Reg 6. Sic filia Iephthæ principis cum virginibus saltat ad victoriam Ammonitarum patris, Iudic. 11. & in reuersione filij prodigi ducitur chorea cum symphonia, Lucæ 15. &cæt. huiusmodi choreæ laudantur, quòd non ob luxuriam seu voluptatem, sed ad laudandum Deum fiebant, & ibi solum viri aut solæ mulieres ducebant choreas, non coniunctim saltabant. Choreas verò mundana habet hanc definitionem, quòd est circulus cuius centrum est diabolus, & cuius circumferentia angeli eius circunstantes: & ideò rarò aut nunquam sine peccato fit. Talem choream ordinauit Sathan post adorationem vituli, absente Moyse, cum filijs Israël in deserto, Exod. 32. vbi pro vero Deo vitulum aureum adorârunt. ita hodiè in chorea omnes obliuiscuntur Dei, nec cogitant quòd illum offendant, sed currunt omnes post vitulum aureum, id est, complacentiam & voluptatem carnis, non recordantes se similem poenâ cum filijs ISRAEL posse incurrere.

2.

Secundò, in chorea omnia regnant peccata: primò superbia in ornatu vestimentorum, in pulchritudine corporis & tibiarum, contra quam superbiam scriptura dicit Psal. Non in tibijs viri beneplacitum erit ei, beneplacitum est Domino super timentes eum, &cæt. quando quisq; sibi videtur esse pulcherrimus, & maxi.

Psal. 146.

& maximè mulieres, de quibus Poëta dicit:

*Sibi quæq; videtur amari,
Nulli non sua forma placet.*

Deindè in avaritia committitur peccatum, si mulier videat alteram habere quod ipsa non habeat, nempe splendidiorem & cariorem stolam, vestem, peplū, cingulum, annulos preciosiores in digitis &cæ. item luxuria vt maximè regnat. tunc enim tactus impudici, oscula, susurria, circunuolutiones & alia fiunt. itē inuidia. quandò vir aut mulier videt ibi esse aliquem vel aliquam venustiori & elegantiori formæ præditam, & ob pulchritudinem præferri, & primas ducere choreas, tunc inuidia regnat iuxta poëtam: Et si qua est illic formosior, inuidet illi. I: e ira, quando contentiones fiunt de primis choris, aut quando vident se contemni & alios honorari, aut quando non potest potiri illa aut illa virgine ad saltandum cum ea. Item gula & ebrietas, nam iuxta Philosophū, nemo sobrius saltat. tunc enim largi potus, tunc cornua sumunt, & fortius ac lasciuus saltant. Acedia quoque ibi regnat, cum impediuntur ab omni bono opere, nec Deum, nec cultum eius, nec ferias curant, sed seruiunt Sathanae & pompis mundi. Sæpè quoque ibi fiunt homicidia, obscæna colloquia, susurrations, concupiscentiæ, detractiones, aliorum derisiones: & in summa, omnes vanitates, ita vt chorea non sit vnus tantum gladius vulnerans conscientiam Christiani hominis, sed tot quot peccata ibi regnant: & nemo à saltatione redit tam probus ac puræ mentis, sicut accesserat. nõ enim fieri potest, quantumcunque sanctus sit, quin aliquam occasionem peccandi, quæ conscientiam eius vulneret, acceperit: & reuera est inhonesta chorea ianua adulterij, stupri ac vitij carnis &cæ. Hinc est quòd veteres patres nullo modo permiserunt choream in festiuis vel Domi-

nicis diebus fieri, vt C. de ferijs. L. Dies festiuos
 maiestati altissimæ dedicatos, nullis volumus volu-
 ptatibus occupari: nihil eodem die sibi vendicet sce-
 na theatralis, certamen circense, aut ferarum la-
 chrymosa spectacula Et de Consec. distinc. 4. C. Qui
 die Dominico vel solenni, prætermisso Ecclesie con-
 uentu, ad spectacula vadit, excommunicetur. Item
 Augustinus in libr. de io. chordis: Melius, inquit,
 faceret homo in agro suo aliquid vtile, quàm si in
 theatro ociosus vel seditiosus staret: & melius fœ-
 minæ die sabbatho lanam facerent, quàm toto die
 in neomenijs suis saltarent impudicè & cæt. Sed nos
 hodiè nec tempus, nec diem curamus, & maiora ac
 plura peccata committuntur nunc in diebus festiuis,
 quàm alio tempore, quia magistratus non inhibet
 nec punit, & populus nullam habet conscientiam.
 Possent autem sustineri chorea, si fieret honestè recrea-
 tionis gratia, seclusa omni impudicitia, cum mode-
 ratis moribus, debitis ac licito tempore & loco, non
 festiuis aut prohibitis ab Ecclesia diebus, & posset
 defendi hac autoritate Ecclesiast. tertio. Est tempus
 plangendi, & tempus saltandi. Sacerdotibus autem
 & clericis, in sortem Domini vocatis & in eius mi-
 nisterium, planè non licet choreas ducere, multo mi-
 nùs monachis, 21. dist. c. Cleros, sed inquis: Si
 filia mea non visitat choreas, non conspicitur, nec
 ambitur à procantibus, & quandoque contractus
 sponsalium ibi fiunt. Propterea puellæ potiùs cibum
 & potum negligerent, quàm vt emanerent è chorea.
 Respond. scriptura docet Deum rogandum esse pro
 bono coniugio, Prouerbior. 19. non iubet ire ad cho-
 ream. Sic virgo Sara Tobia 3. dum exprobraretur
 ab ancilla, quatenùs occidisset septem viros, inquit
 ad Deum: Tu scis Domine quòd nunquam concupi-
 ui virum, nunquam cum ludentibus, id est, chorizan-
 tibus misui me, neque cum his qui in leuitate am-
 bulant

bulant &c. attamen illa tandem accepit in virum iuniorum Tobiam virum sanctum &c. Postremò quantum displiceat DEO inhonesta chorea, patet ex punitione, nam Moyses saltantes coram vitulo interfecit penè 23. millia, Exod. 32. & decollatio Ioannis Baptistæ, quo non maior fuit inter natos mulierum, Matthæi II. prouenit ex saltatione puellæ, cui rex simulatum iuramentum tenuit &c. Sequitur autem ex huiusmodi saltationibus non solum mors animæ, sed etiam mors infantum, cum prægnantes mulieres inter saltandum immodicè circumgyrantur, ita ut non solum nudi pedes, sed nescio quæ alia videantur, & sæpè incidunt in infirmitates ob nimiam fatigationem & inflammationem &c. adde quòd nec vllarum regionum externarum saltatio turpior est quam Germanorum.

Marc. 6.

CAPVT XIII.

ARGVMENTA.

1. De peccato ira, & quid sit.
2. Quos gradus habeat & Christus notauit.
3. Damna quæ sequuntur ex ira.



Primo, ira est motus animi, qui se cupit vlcisci in alio, siue per verba ut conuicia, blasphemix, exprobrationes, aut factio per vim, per vulnera, homicidium, & alia damna siue aperta, siue clancularia &c. Ideò admonet nos Apostolus Iacobus: sit omnis homo tardus ad iram ira enim viri iustitiam Dei non operatur, iustitia Dei fides, pax, timor, charitas &c. sed iracundus nec Deum timet, nec pacem, nec charitatem vel amorem proximi habet. Homo igitur Christianus tardus esse debet ad iram. Est autem duplex ira, iusta & iniusta. Iusta ira est sine peccato, & fit

M. M. 4

quandò

quando contra culpam & peccatum fratris quis irascitur, non contra personam fratris: nam aliud est irasci fratri, aliud culpę fratris. Sic Moyses mansuetissimus & seruus Dei irascebatur proiciens in terram duas tabulas, & fregit, & occidit 23. millia hominũ. Sed in peccatũ idololatrię sic exarsit Exo. 32. Sic Phinees occidit virum & mulierẽ in actu Venereo cõtra præceptum Dei, Num. 25. Sic Dauid nuncio irascebatur, qui interfecit regem vnctũ Domini, 2. Reg. 1. & Helias propheta Sacerdotes Baal, tertio. Regum 18. Sic Petrus peccatum mendacij quod vir cum vxore commisit, Actorum quinto corrigit, & moritur & cõt. Omnia huiuscemodi facta sunt propter culpam, non fratrem aut personam. Corpora punita sunt & occisa, vt Spiritus viueret, si pœnituerint corde, & fidem ad Deum seruauerint. & sic inquit propheta, & Paulus Ephes. 4. Irascimini, & nolite peccare, id est, culpę irascimini, sed ita, ne ira grauior sit peccato, pro quo irascimur. Iniusta autem ira grauissimũ est peccatum, quando quis sine causa & veritate, ex detractione vel alio signo occasionem sumit, & irascitur per multos dies: & hanc maximẽ prohibet scriptura & Deus. Talis erat ira Cain aduersus Abel, Genes. 4. Talis regis Saul contra regem Dauid, 1. Reg. 18. Iustus igitur habet causam ex Zelo Dei, ne ipse irascatur, vt patet in Moyse, Phinea, Helia, & Christo ipso, cum è templo eijceret vendentes &c. sed iniusta ira est grauissimum peccatum. 1. Ioan. 3. Qui occidit fratrem suum, id est, personam vel hominem, & non peccatum eius, homicida est &c.

- Secundo, ira habet suos gradus & etiam grauitatem pœnarum, secundũ gradus. Ita enim Christus tres ponit gradus irę, Matthei quinto: Audistis quia dictum est antiquis, Non occides. Qui autẽ occiderit, reus erit iudicio. Ego autẽ dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, scilicet occultẽ in corde etiam

etiamsi os & manus quiescit, reus erit iudicio. Deinde secundum ponit gradum, dicens: Qui autem fratri suo dixerit, Racha, reus erit concilio. Postea tertium ponit gradum: Qui autem dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: Hos tres gradus ponit Christus, veluti quando malefactor ad iudicium ducitur, vt occidatur & corrigatur. nam qui vnum occiderit, is dignus est iudicio, id est, vt pro tribunali sistatur coram quo accusetur, & quatenus sententia feratur tãquam in talem, qui mortem meruerit, iste est primus gradus ad mortem: sed nondum lata est sententia, habet enim adhuc spatium interloquendi, quatenus possit liberari: deinde, quando sententia lata est, quod mori debet homicida, tunc incidit in concilium, qua pœna aut quo genere supplicij debeat puniri, vtrum igne, an gladio, an virgis tantum & cat. & iste est secundus gradus, morti proximior, quam prior erat, ira vt iam nec liberari, nec effugere possit. Tertio, quando sententia de pœna diuulgata est per consultationem iudicis, tunc traditur Lictori, vt exequatur iustitiam: & hic est vltimus gradus. Sic Christus notat quoq; hos gradus, & primo quod qui irascitur fratri, quod is dignus sit gehennæ ignis, hoc est iudicium, & sententia hæc iam diuulgatur, quod dignus est igne gehennæ: qui etiam vltra iram cordis dicit Racha, id est, qui signo exteriori etiam irascitur, is grauius peccat, & profundius tendit in infernum: qui verò etiam verbo, fatue, & manum infert, occidit atque irascitur, is profundissimè ad infernum tendit: & sic iræ est vna condemnatio ac pœna infernalis, attamè eò ampliùs & grauius erit pœna ignis, quantò magis abundauerit malitia & ira: nam secundum gradus delicti erit & plagarum modus. Ex prædictis gradibus liquet, quàm graue peccatum sit ira iniusta. Vult enim Deus à nobis pacem & charitatem mutuam atq; fraternam, non iram vel rancorè:

non vult vt alter alterum condemnet aut occidat: nã omnes vitam ab ipso habemus atque salutem, ipse solus diues est in omnes, Romanorum 10. Vndè Iacobus & Ioannes Luc 9. commoti, quòd Samaritæ non recipiebant Christum, dixerunt: Domine, vis vt ignis descendat de cælo, &cæt? & increpauit eos, dicens: Nescitis cuius spiritus estis. filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Hunc magistrum debemus sequi, & non affectus nostros. Ephel. 5. Sol non occidat super iram vestram, &c.

§. Tertiò, grauissima damna sequuntur iram: primum, quia Deus de corde nostro expellitur, & diabolo locum damus per iram, id quod periculosum est, secum deferre in corde Sathanam, cum eo die non, & que comedere & bibere: vbi enim est charitas, ibi Deus habitat, vt i. Ioan quarto. Deus charitas est, & qui manet in charitate, manet in Deo, & Deus in illo. Si igitur diabolus cor nostrum per iram possidet, quomodò Deus in nobis manet? vndè apertè iubemur Ephel. quinto de vitanda ira, vt non locum demus diabolo. Nemo igitur ad dormiendum se componat, quin priùs iram abiciat, & Ephel. 4. Nolite spiritum Domini contristare, sed tunc contristatur spiritus sanctus, quandò per iram & peccatum expellitur. Ob id Apostolus flectit genua ad Deum patrem Domini nostri Iesu Christi, quatenùs Christus habitet in cordibus nostris per fidem, & propheta David Psalm. 50. petijt, Spiritum sanctum tuum nè auferas à me. Ideò dicitur, Nolite contristare spiritum Dei, in quo consignati estis in die redemptionis. Ideò omnis amaritudo, ira & blasphemia tollatur à vobis, & estote inuicem benigni, mites & misericordes, donantes inuicem, sicut Deus donauit nobis in Christo, id est, propter Christum. Secundum damnum est, quòd ira non solùm priuat Deo, sed etiam vitam nostram

stram minuit. Eccle. 10. Zelus & iracundia minuunt dies, impediunt & tollunt rationem. vnde Cato:

Impedit ira animum, ne possit cernere verum.

Vndè iracundi assimilantur lapidi, qui percussus, scintillam emittit. Sic iracundus tactus verbo, prorumpit in blasphemias, conuicia & rixas. Iob. 18. lapis calore solutus, in æs conuertitur, id est, sonum reddit & cæt. Porro iracundia est sicut æs aut cymbalum. Gregorius: Qualis vnusquisque apud se latet, illata contumelia probat. Tertium damnum est, quòd ira non solum nobis ipsis nocet, sed etiam omnibus alijs hominibus & creaturis. Occidit enim homines, & in mille & irreparabilia damna inducit. Vndè enim incendia vrbiũ, & villarum depopulationes, ac deuastationes agrorum, vinearum, & cæt. nisi ex ira? Sic Absolon incendit messem Ioab, 2. Reg. 14. qui postea fuit suspensus & transfixus. Sic Samson incendit messem Philistinorum, Iudic. 16. Sed postea ipse captus & oculis priuatus fuit. & Matth. 25. Si Deus est puni- turus eos, qui peregrinos & pauperes non vel colligunt vel recipiunt hospitio, quanto magis illos, qui alios ex furore suo priuant & domibus, & agris, & bonis suis?

CAPVT XIII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit maledictio & conuicium, siue in oder & helren.*
2. *Quas personas singulariter exprimit scriptura, ne eis maledicamus.*
3. *De pœna maledicentium.*

Primò



1.

Rimò, maledicere est pximo suo ex commotione iræ seu inuidiæ quiduis malū increpari, & eum diris deuouere, pesti, plagæ corporis & animæ, quod est grauissimū peccatum, & contra regulam quā nobis præcepit Christus Matt. 7. Omnia quęcunq; vultis vt vobis faciant homines, eadē & vos illis facite. Ideò Apostolus Rom. 15. admonet, dicēs: Benedicite, & nolite maledicere, quia hoc est contra charitatem proximi; hoc vitium maximè excitat Sathanas ex ira & inuidia contra proximum in congregatione aliorū, sicut in conuiujs mensæ. Sic enim Sichimitæ inter epulas & pocula maledicebāt Abimelech, Iudi. 19. Sed postea poenam grauem sustinuerunt &cæt. Inter commensales enim nihil nisi bonum de absentibus est dicēdum: de maledicis autem Psalmista dicit Psal. 5. Venenum aspidum sub labijs eorum, lingujs suis dolosè agebāt, iudica eos &c. id est, punias eos Deus. Maxima contumelia fit Deo, *schmähunge*, per hoc vitium maledictionis. Nā vt dicit Augustinus serm. de S. Stephano, Deo aliud imponitur officium, quàm sibi competit. Deus enim vult omnes homines saluos fieri, 1. Tim. 2. & ideò misit filium suum in mundum, vt mundus saluaretur per ipsum, Ioann. tertio, & Ecclesia orat: Deus, cui proprium est misereri & parcere, &cæt. & in litanijs orat, ne Deus plagis diuersis nos perimat, sed nos cōseruare dignetur à peste, gladio, subitanea morte &c. Quàm igitur graue peccatum sit, quod ex Deo facimus aduersarium nostrum, & quasi licentem aut sicarium, qui tamen dicit Eze. 18. Nolo mortem peccatoris, &cæt. videant illi quibus hoc peccatum commune est.

2.

Secundò scriptura notat quædam hominum genera, quibus maledicere grauissimum est peccatum, & primò prælatis, rectoribus & Magistratui. Exo. 22.

Dijß

Dijs non detrahes, & Principi populi non maledices. Ideò Numer 21 legitur, quando populus murmura-
 bat contra Moysen & Aaron, quòd à serpentibus con-
 sumptus est: est enim omnis potestas à Deo, Rom. 13. Qui ergò resistit & maledicit potestati, ille Deo & e-
 ius ordinationi maledicit. Debemus autem hanc ve-
 nerari & obedire propter Deum, 1. Pet. 2. cò quòd Dei
 locum tenet. Deindè parentibus nemo maledicere
 debet occultè vel publicè Leuit. 20. Qui maledixe-
 rit patri vel matri, morte morietur. Vult enim Deus
 vt honorentur parentes & timeantur, Leuit. 19. id est,
 D E V S est honorandus ac timendus in parentibus.
 Dei enim ordinatione tales personæ nobis datæ sunt
 in parentes. Igitur non solum naturaliter, sed etiam
 propter Deum sunt honorandi. Vndè Deutero. 21. Si
 filius fuerit proteruus, & illorum monita spreuerit,
 &cæt. ducent eum ad seniores ciuitatis, & lapidibus
 obruet illum populus, vt vniuersus Israel audiat &
 pertimescat. Tertio, non debemus furdo, id est, ab-
 senti maledicere. Leuit. 19. Non maledices furdo, nec
 coram cæco pones offendiculum, sed timebis Do-
 minum Deum tuum, &cæt. Quarto, nemo semetip-
 sum debet deuouere plagis, vt faciunt irati, cum in-
 quiunt: Vt mihi terra dehiscat, vel, si hoc non fecero,
 diabolus me auferat, aut me pestis teneat, &cæt. non
 enim ipse Archangelus Michael diabolo maledixit,
 vt ait Iudas in sua canonic. sed inquit, Imperet tibi Iudæ 1. b
 Deus, neq; etiam bruto animali maledicas, quia crea-
 tura Dei est. Nulla igitur creatura Dei est maledicen-
 da. Ideò dicit Propheta Psalm. 36. Quia benedicen-
 tes hæreditabunt terram: maledicetes autem disper-
 ibunt. Qui igitur vult verus esse Christi discipulus,
 ille patièter debet ferre aliorum maledictiones pro-
 pter veritatem, sed nulli ipse debet maledicere, 1. Pet.
 2. Qui (id est, Christus) cum malediceretur, non ma-
 ledixit. Romanor. 12. Non maledictum pro maledi-
 cto. Sic

sto. Sic 1. Corinth. quarto, Maledicimur, & benedicimur. & Luc. 6. Benedicite maledicentibus etsi hoc graue sit pati, attamen maior erit corona. Matth. 5. Beati eritis cum maledixerint vobis homines, &cet. Hoc proprium est hereticorum, nempe lingua bestie; Apocal. 13. &c.

Tertiò, Apostolus Paulus quoties hoc peccatum taxat, inquit, quòd tales regnum Dei non possidebunt. 1. Corinth. sexto: Neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. & Galat. quinto numerat hoc vnum inter opera carnis, & dicit, Maledici non possidebunt regnum Dei. Graue ergò vitium sit oportet, quòd priuat vita & regno Dei, & quidem admodum commune est hoc vitium iam in mundo, sed nemo corrigit. Quòd si ille qui dicit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis: quid de alijs maledictionibus grauissimis & pessimis nominibus erit, quibus læditur proximus? Augustinus sermone septimo de S. Stephano scribit, terribile exemplum de muliere matre, quæ decem filijs suis maledixit, & quomodo pueri sunt puniti &cet. vide serm. Insuper scriptura notat aliqua vitia, quæ faciunt incurrere maledictionem Dei, vt mendacium, sicut serpens maledicitur Genes. tertio, aut negligentia præceptorum Dei, Deuter. 28. Derisio vel inhonoratio parentum, vt Noe maledixit Chanaan, Gene. nono. Etiam in figura fiunt maledictiones. sic Christus maledixit ficui; Matth. 21. notans sterilitatem verorum fructuum fidei in Iudæis, etsi foris cum cæremonijs splendebat. Sic Helizæus propheta maledixit pueris, 4. Reg. secundo, notans peccata parentum in filijs, &cet. Igitur huiusmodi maledictiones sunt nobis documenta, ne incidamus in peccata: at dum homo hominem odit, & ei ex ira maledicit, grauissimū est peccatum, & cum huiusmodi Apostolus 1. Cor. 5. prohibet cibū sumere, & quòd à communitate aliorum debeat ex-

comis

communicari. At inquis: licet ne reprehendere manifesta & publica vitia? Respon. Christus inquis, Luc. 6. & Matt. 7. Nolite iudicare &c. non prohibuit officium iudicis aut concionatoris, sed prohibet priuatam maledicentiam, & in rebus dubijs calumnias, Est aut priuata maledicentia quandoq; extra iudiciū aut concionem aut deliberationem. Dicuntur in alios conuicia, etiam si vera & manifesta sunt, quæ fiunt, vel vt ille emendetur, vel vt ei rectius consulatur, sed erumpūt, aut ex naturæ vanitate, aut ex morbo animi, idq; hoc tempore vsitatum est &c.

CAPVT XV.
ARGVMENTA.

1. De peccato inuidia, & quid sit.
2. Cui sit similis inuidus.
3. Quantum noceat homini inuidia.



Inuidia est dolor alienæ felicitatis, prosperitatis aut fauoris, sicut diabolus inuidet nostram felicitatem, Sap. 2. Inuidia diaboli mors intrauit in orbem. Sic inuidia serpentis prostrauit parētes, Gen. 3. Inuidia Cain nō potuit quiescere donec occisus esset Abel, Gen. 4. Sic inuidebāt filij Iacob fratri suo Ioseph, Gen. 37. sic Saul inuidebat Dauidi, qui tamen illum omnib; affecit beneficijs. 1. Reg. 18. Sic Iudas inuidet Christo, quod à sancta muliere ungeretur, cum diceret: Ad quid perditio hæc? Mat. 26. Est igitur inuidia dolor alienæ felicitatis siue prosperitatis. Sed scriptum est Prouerb. 17. Qui in ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Hæc inuidia duas habet filias, dolorem in prosperis, & gaudium in aduersis proximi. Quare inuidi sæpè sic sunt infelices, quod ipsi amittunt quicquid alij lucrantur: ipsi de sanitate aliorum infirmantur, de prosperitate aliorum intabescunt,

scunt, & de malis atque incommodis aliorum gaudent: vnde optat Seneca, inquiens: Vtinam inuidi in omnibus ciuitatibus aures & oculos haberent, vt de singulorum prosperitatibus ac honoribus torqueretur &c. Contra hoc vitium Christus & tota scriptura vbique inculcat charitatem proximi, quæ charitas est quasi vita spiritualis, qua corâ Deo viuimus, 1. Ioan. tertio. Nos scimus quia translati sumus de morte ad vitam, si diligimus fratres. Qui non diligit, adhuc est in morte, id est, nondum venit ad vitam, qua in fauore & gratia Dei viuimus: nam in illo est efficax vita æterna, quam Christus nobis meruit, & amplius prædicat de dilectione contra odium, inquiens: Omnis inuidus animam suam occidit per odium, eò quòd manebit in æterna morte. Ideò dicit Apostolus, Et scitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. Tertio prædicat Euangelista contra inuidiam, 1. Ioannis 4. inquiens: Si quis dicit quoniam diligo Deum & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? & hoc mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem suum: hæc omnia Apostolus contra odium & inuidiam.

Secundo, similis est inuidia in homine vermi in ligno, rubigini in ferro, & tineæ in vestimento. nam ista sicut rodunt proprium subiectum, & consumunt illud priusquam alia: ita inuidia rodit ipsum inuidum, & plus inuidus nocet sibi ipsi, quam alijs. Prouerb. 14. Vita carnis, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia. Habet quoque inuidia triplex signum: pallefcit enim facies, quando intuetur quem odit: deinde oculos, deprimit, nec audet illum in faciem adipicere: Tertio, dentes ex cõpressionè sæpè strident, & membra exteriora frigescent. Sic ad prædicationem S. Stephani Iudæi dissecabantur cordibus suis, & stridebant

debant dentibus in eum. His ergò signis cognoscitur inuidia, quam gentilis poeta pulchrè describit, cùm inquit:

*Liur tabificum malis venenum,
Intactis vorat ossibus medullas,
Et totum bibit artubus cruorem:
Ut debet sibi pœna semper ipse est.
Testatur gemitu graues dolores:
Suspirat, gemit, incutitq; dentes,
Pallor terribilis genas colorat,
Infelix macies renudat ossa, &c.*

Christus autem dicit Ioan. 13. In hoc cognoscent homines quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem. Tristitia igitur alienæ fœlicitatis, & gaudium de alieno periculo, intelligitur de bonis & pijs hominibus, quandò dolent de impiorum exaltatione: fortuna enim quod dignis adimit, transfert ad impios, & hanc tristitiam nō condemnat scriptura, 1. Machab. 2. Matathias fuit plurimùm contristatus de prosperitate & exaltatione Regis Antiochi, & Psal. 57. Lætabitur iustus cùm viderit vindictam impiorum, & Psalm. 106. Videbunt recti, & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum. Sic sæpè gauisi sunt Christiani sine amissione charitatis de morte Tyrannorū, quia talis interitus erat augmentatio fidei atque religionis, & ne tot scandala fierent per malos & crudeles tyrannos, quemadmodum tradit tripartita histor. temporibus Arrij contigisse.

Tertiò, grauissima damna inuidiæ recenset scriptura, ideò maximè fugienda: Primò, inuidus non est Dei filius, nec cognoscit Deum, neq; in Deo manet: & qui Deum non habet, nec cognoscit, quem alium habet, nisi Sathanam? Hoc probatur 1. Ioan. quarto.

NN Qui

Matt. 9. &
12.

Qui non diligit fratrem, non nouit Deum, quotiam
Deus charitas est, & omnis qui diligit fratrem suum,
ex Deo natus est, & cognoscit Deum. quid enim est
Deus, nisi charitas? qui ergo inuidet, charitatem non
habet, nec Deum habet: atque sic neque remissionem
peccatorum, neque vitam æternam habet, &c. Augu-
stinus serm. 5. de S. Stephano: Qui vel vnū hominem
in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus
bonis offert, totū perdit: quia non mentitur Paulus,
qui dicit 1. Cor. 13. Si dederō omnes facultates meas
in cibos pauperum, & si tradidero corpus meū ut ar-
deam, si habuero omnē sciētiam & omnem fidem, ita
ut montes de loco transferam, & non habuero chari-
tatem, nihil mihi proderit ad salutē: idē vult Deus
ut ante omnia reconcilietur frater, Matt. 5. Nec ora-
tionem, nec sacrificiū vult, sed misericordiam & re-
conciliationem. Osee 6. Augustin. vbi sup. Tu enim
inuidus attendis quid tibi fecit homo, sed non pe-
ccata quæ tu quotidie facis contra Deum, & quidem
multo grauiora: quare non dimittis proximo tuo of-
fensam, ut & tibi Deus remittat tua peccata? attende
quid dixerit Christus Matt. 6. Si dimiseritis homini-
bus peccata eorum, dimittet & vobis pater cœlestis
peccata vestra. Deus non vult tibi remittere peccata,
nisi tu prius proximi tui contra te delicta remiseris.
Sic enim quotidie oras Matth. 6. Dimitte nobis de-
bita nostra, sicut & nos dimittimus &c. nō quod tua
remissio peccata remittat, sed Deus propter se-
ipsum & verbum suum: at tamen si te non dispo-
seris &c. attende historiam serui cum conseruo Mat. 18.
At inquit? frigescit cor meum ad contuitum inimi-
ci, non possum illi loqui &c. Augustinus: Fac hoc pro-
pter Deum, quod propter homines potentes facis at-
que diuites: non audes cum potentiore certare iudi-
cio, sed oportet ut cum patientia sustineas tyran-
nicam violentiam. idem fac hinc & propter Deum, &
magna

magna te expectabit patientiæ corona, Matth. 5. Beati eritis cum oderint vos homines propter veritatem, & car.

CAPVT XVI.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit detractio.*
2. *Quomodo detractor teneatur ad restitutionem fame proximo ablata.*
3. *Quomodo puniatur à Deo detractio.*



Detractio est malus & falsus sermo, quo proximus in fama læditur & honore priuatur, idque in absentia: nam sicut noctua non in die, sed in tenebris volat: sic detractor non in faciem, sed dorsum loquitur. de talibus dicit Apostolus Romanor. primo, detractores Deo odibiles. odit enim Deus illos, & est spiritualis homicida omnis detractor. nam ille cui detrahitur, in conscientia eius qui audit illam detractioem, occiditur, in cuius conscientia prius vivebat per bonam famam: & tale homicidium grauius est corporali: nã in corporali homicidio corpus vnus occiditur, hic autem multorum animæ, nempe detractoris & auditoris seu auditorum. deinde grauius est hoc peccatũ homicidio naturali, quia serpit de vno ad alium: nam vnus est sæpè qui loquitur, & tamen vnum verbum in eodem momento multitudinis audientium, dum aures trãfigit, animas interficit: hoc non fit in homicidio corporali. Est autem sicut cætera peccata, contra scripturam Exo. 22. Dijs (id est, superioribus) non detrahes. & Iacob. 4. Nolite detrahere alterutrũ & car. Sed nemo est qui audiat hoc peccatum esse inhibitum à D E O. Præterea hoc peccatum comparatur cani, Ecc. 19. sagittã infixã femori canis, sic verbum in ore stulti. canis sagittam habens

NN 2 in fe

in femore, non quiescit donec remouerit: sic stultus quiescere non potest, donec verbum quod audierit, alijs retulerit: similes sunt porco, qui prius os quàm pedes coinquinat, & ingrediens hortum, potius lutum quàm flores inuadit. Sic est os detractoris, etsi manus non vulnerat, tamen os lædit, & carpit inferiora proximi, id est, lutum: non autem flores, id est, bonitates eius refert, sunt quoq; similes Iudæ, qui occulto signo Christum prodidit &c.

2. Secundo, quum furtum sit spiritualis detractio, quod Dominus prohibuit Leuitic. 19. furdo (hoc est, absenti) ne detrahas vel maledicas. nam vt dicit Salomon Prouerb. 22. melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Igitur qui furatur alteri famam, plus facit quàm si aurum & argentum: vestes & alia furatur &cæt. Et quoniam peccatum non dimittitur, nisi ablatum restituatur, quia talis nondum dolet peccasse se interim dum retinet ablatum: ergo non potest consequi remissionem & salutem, nisi restituat & doleat: qui igitur, vt Gerson ait, lædit iniuste infamando proximum, tenetur restituere damnum illatum, & retractare id, quod falsò imposuit, ita publice & coram illis, sicut & coram quibus diffamauit: nam per bonam famam multa conciliantur bona apud populum, vt patet in concionatoribus, prælatis, gubernatoribus: & è diuerso per infamiam multa mala fiunt, nempe contemptus superiorum, inobedientia, &c. Ob eam igitur maximè causam Deus prohibuit, ne superioribus detraheremus, Exod. 22. At quidam inquit: Verum dico de illo, & nõ mentior. Respon. Deut. 16. præcipitur, Quod iustum est, iuste exequere: id est, habes caput & ordinem iudicij: illic appella & loquere, si quid iustum vel iniustum habes. Sed occultè & absenti & apud quosuis detrahere, hoc enorme est peccatum. Sunt quoque tales detractores peiores ipsis canibus, lupis ac cæteris feris: nam illi deuo.

deuorant carnes uiuentium, detractor autem non solum uiuentes, sed etiam iamdudum mortuos atque foetentes, dētib; detractiois rodit, & non sinit quiescere in pace, sicut orat Ecclesia pro defunctis.

Postremo, Apostolus Rom. 1. inter alia peccata hoc quoq; vitium recensens, inquit, tales esse reiectos in reprobum sensum atq; damnatos, & non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: ergo non solum detractores sed etiam auditores damnationem incurrunt: nam serpens detractor est, infecit naturam nostram in parentibus, Gen. 3. vnde & hodiē libenter audimus cōtra alios susurrātes & obloquētes. S. Augustinus hoc peccatum maiorem in modum detestabatur, itā vt neminē admissurus esset ad mensam, qui alijs detraheret, ideoquē & hos versus ipse mensæ suæ inscripsit:

*Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.*

Est enim maxima abusio linguæ, qua Deus hominem præ cæteris animalibus donauit, non vt proximum suum obloquendo seu maledicendo roderet, sed Deū suum laudaret, benediceret, gratias ageret, & proximum suum iuaret. Quarē Deus aliquādō visibiliter punit talem abusum linguæ, vt in hora mortis fiant elingues, vt nec loqui, nec peccata sua confiteri possint: & diues epulo in flamma maximē cruciatur in lingua, Luca 16. facit enim detractio odibilem Deo, & priuat nos regno cœlorum, 1. Ioan. 3. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est, & lædit charitatem proximi, quæ omnia sunt maxima & periculosissima damna: sed hoc vitium in hominibus nemo domare potest, præterquàm Deus. Iacob. tertio. Linguam nullus hominum domare potest: inquietum malum, plena mortifero veneno lingua: in ipsa benedicimus Deum, & maledicimus homines. Sed non sic

fratres & cæ. Idè Gerson dans remedium contra detractionem, inquit: Cogitet primùm detractor propriam suam fragilitatem & defectum. nam iustus in principio est accusator sui ipsius. Deindè cogitet, si fortè fuisset ipse in tali statu & occasione, sicut ille fuit, similiter cecidisset. Est enim multiplex occasio peccandi, deindè cogitet, quàm periculosum sit alienum seruum iudicare, qui Domino stat aut cadit, Romanor. 14.

CAPVT XVII.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit mendacium.*
2. *Cui similis sit mendaciloquus.*
3. *Quam grauius puniatur à Deo.*

1. **M**ENDACIUM est falsa locutio contra veritatem & conscientiam fallens, & hoc maximè prohibuit Deus, cū dicit Mat. quinto: Sit sermo vester, Est est, Non non. Et Zachar. 8. Loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo. Hæc verba ad Ephes. quarto repetit Apostolus, & adiungit, quando inuicem sumus membra, Anima enim nostra nihil adè desiderat, quàm scire veritatē in rebus omnib. sed hoc quod homo desiderat, i. veritatē ab alijs, ipse non dicit alijs: hoc enim vitium mentiendi venit à Diabolo, qui primum commisit mendacium, Gen. 3. inquit: Nequaquam moriemini &c. vnde dicitur pater mendacij, & Spiritus mendax. Quotquot ergo mendacijs assueuerunt, filij sunt diaboli, sicut Christus exprobrat Iudæis: è diuerso qui filij DEI sunt, veritatem amant & loquuntur & cæt. Est triplex mendacium: Iocosum, quod licet sit sine damno alterius, id est, dum recitatur fabula, est tamē verbum ociosum, de quo homo cogitur reddere rationem,

Ioan. 8.
3. Reg. 22.

Ioan. 8.

nem, Matth. 12. deindè est mendacium officiosum, id est, non d' ter, quale erat obstetricū in Aegypto, Exo. 1. & Michol vxoris Dauidis, 1. Reg. 19. Tertio est perniciosum mendacium ad fallendum & decipiendum proximum, quale erat mendacium Iudæorum, quod spargebant de discipulis Christi, quòd corpus ipsius ex sepulchro furati essent. Eiusmodi mendacia multum sunt perniciosa fidei, & veritatē impediunt &c. Matt. 28. lingua hominis multa in se habet periculosa vitia, nempe mendacium, detractionem, maledicentiam, adulationem, turpiloquium. De adulatione autem dicitur Eccles. 7. Melius est à sapiente corrigi, quàm stultorum adulatione decipi, hoc vitio adulationis paucissimi hominum carent &cæt. Huiusmodi verò plerunque inueniuntur in aulis principum ac regum, & sunt pestes nocentissime, neque aliquid nocentius inuenitur lingua adulationis. Psalm 54. Molliti sunt sermones eius super oleum. Ideò Ezech. 13. maximè inuehitur contra adultores, dicens: Hæc dicit Dominus, Væ qui consuunt puluillos sub omni cubito &c. Esai. 3. Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt. est quoque vitium linguæ, in sermone & verbis esse bilinguem, quod parit omne malum. Proverb. 8. Os bilingue derestor, hoc vitium maximè abominatur Apostolus 1. Timot. 3. & qui tales sunt, indignos dicit episcopatu. & Iacob. 3. cōtra hoc vitium inuehitur, vt suprà recēsuimus, & Apostolus 2. Thes. 2. inquit: Ideò mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui nō crediderunt veritati, sed cōsenserunt iniquitati Qui enim dulcem veritatem cōtemnit, dignus est vt mendacijs satietur.

Secundò, lingua mendax similis est scintillæ ignis, quæ totam syluam accendit: item lingua intemperans est peior serpentibus, volucris & bestijs, quæ domari possunt: sed linguam nemo domare potest.

tem nulla scaturigo simul emittit dulcē & amaram aquam, nec ficus uvas producit, nec vitis ficus: lingua verò hominis mendaciloqui ex vno ore calidum & frigidum profert, id est, benedictionem & maledictionem, veritatem & mendacium &cæt. Est autem homo intemperantis linguæ, similis equo sine freno, & naui sine gubernaculo, eò quòd nō regitur nec domatur. Est quoque similis falsæ monetæ, quæ in superficie apparet esse bona, & sicut gratior ac preciosior est moneta bona, quàm falsa, ita homo verax præualet mendaci. Gerson maluit aliquem esse luxuriosum aut vinosum, quàm mendacem, eò quòd vitia cessarent in senectute: sed mendacium adhæret & sepulcrum ingreditur &c.

3. Tertio, pœna mendacij est perditio salutis. Psal. 5. Odisti omnes qui operantur iniquitatem, & perdes illos qui loquuntur mendacium. & Prouerb. 12. Abominatio est Deo labia mēdacia, sicut hominibus est abominatio, si cui os vel anima scœteat, aut qui morbo aliquo affectus est: ita Deo abominabilis est mendax: est quoque mendacium venenum animæ lætifera, iuxta illud Sapient. 1. Os quod mentitur, occidit animam. Præterea Matth. 5. Christus beatificat pacificos, quòd filij Dei vocabuntur. Qui ergò per conficta sua mendacia seminant odia, iurgia & pugnam inter proximum, illi sunt filij diaboli. Est enim proprium mentientium, vt semper rem magis exaggerent, & aliquid addant ad concitandas aliorū mentes, sicut occiso vno filio Dauidis, fama peruenit ad ipsum, quòd Absalon percussisset omnes filios Dauidis, 2. Regum 13. sed **DEVS** vt plurimum vlciscitur mendacium in ipso auctore, ita vt malum quod per mendacium alteri intendebat, in caput ipsius redundat: sicut contigit Haman, qui per mendacium impetrauit à rege, vt omnes Iudæi vno die occiderentur. Sed hoc malum consilium & mendacium ipsi
fuit

fuit pessimum, suspensus enim fuit &c. Hester 7. sed hoc vitium hodiè ita commune est, vt non reputetur amplius pro peccato. Osee 4. Maledictum, mendacium, homicidium, furtum inundauerunt &c. Quia igitur Deo & hominibus facit abominabilem, maxime fugiendum est &c.

CAPVT XVIII.
ARGVMENTA.

1. *De peccato gula, quid sit.*
2. *Quomodo in principio mundi & maiores nostri fuerint abstinentes.*
3. *Quae mala sequantur ex gula.*



Rimò gula est inordinata & nō necessaria cupiditas potandi ac vorandi: & ex hoc vitio primum hominis peccatum est cōpletum, Genes. 3. vndè posteritas infinitis malis & ærumnis affecta est, & in perpetuum fuisset cum corpore & anima damnata, nisi promissum semen, quod est Christus, eam saluasset, Gal. 3. ideò Christus Lu. 21. prohibet gulam, inquit: Attendite ne grauētur corda vestra crapula & ebrietate, & curis huius mundi. & Apost. Rom. 13. Non in commensationibus, inquit &c. Olim apud gentiles fuit secta Epicureorum, quæ existimabat summam beatitudinem consistere in voluptate & crapula: Christus autem beatos censet qui lugent, Matth. 5. nam veniet quod Esaias dicit cap. 22. Vocabit Dominus ad fletum, planctum, & cilicium, &c. Sed ecce gaudium & lætitia, occidere vitulos, & mactare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, dicentes: Comedamus & bibamus, cras enim moriemur &c. huic autē peccato deseruiūt omnes athæi, qui nō credunt aliam vitā esse post hanc vitam, iuxta dictū illorum:

NON EST POST HANC VITAM ALIA VITAM. Ede,

Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas: quorum Deus venter est: non timent, nec amant, aut credunt alium Deum, Philipp. 3. Sic Esau propter gulam lentis edulij vendidit primogenita sua, Genes. 25. sic crapula multos depauperat in substantia: & hodiè consuetudo est, vt in conuiujs aut prandijs magna fiat fercula, varij apparatus, varia genera vinorum, ostentatio poculorum argenteorum &cæt. fructus autem huius gulæ sunt, consumptio, ebrietas, rixa, detraçtio, impudicitia, & aliquandò homicidia, vt scribunt Poëtæ de conuiuio Lapytharum & Thracum, qui post epulas scyphis pugnabant, & sanguineas mouebant rixas. idè Job 1. quandò filij eius celebrabant conuiuia ex ordine, surgebat manè, & offerebat holocausta per singulos &c. ne Deus offenderetur vitijs conuiuantium filiorum. sed vbi hodiè est talis pietas in conuiujs? immò venit & alijs fructus ex comestationibus, nēpè leuitas & saltatio, iuxta illud Exod. 32. Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere, id est, saltare, &c.

• Secundo, legitur quòd cibus & potus hominum in principio erant sine omni additamento aut confectione, sed simplex, & ex fructibus arborum & potu aquæ se sustentabant homines antè diluuium, & idè erant longioris vitæ, sed post diluuium esus carniæ incepit, & potus vini & confectio ex herbis, & paulatim diuersa genera cibariorum & aromatum inceperunt. Præterea Romanorum & Gētilium probatur abstinentia, de quibus legitur quòd apertis ostijs coram transeuntibus comedebant, & certo tempore, quia legem habebant gulæ & ebrietati positam, ne quis excederet in comestationibus &c. De Platone legitur, quatenus per totam vitam suam non nisi semel in die comedebat, & cùm aliquandò cum suis de varijs cōferret sermones, narrauit se fuisse in quadam regione, vbi homines bis in die comederent &c.

Eccò

Eccè hæc fuit Gentilium abſtinentia, nos verò Chriſtiani, & præſertim Euangelici, quoties in die nos replemus & ingurgitamus? & nemo pro peccato reputat. dicitur Eccl. 37. Propter crapulam multi perierunt, & plures quàm gladio &c.

Tertiò, multa mala & quidem grauiffima ſequuntur crapulam. Eſt enim homo gulofus requies diabolici, non enim macilentos, ſed pingues quærit. Ideò mali Spiritus Matthæi 8. petierunt mitti in porcos. nam porcus nihil aliud quærit niſi cibum, vt ſemper voret, ſe repleat & impinguetur: ita etiam faciunt gulofos, & in tales diabolus habet ſuam poteſtatem. Non enim legitur, Sathanam tentâſſe diuitem epulonem, qui iam ſuum erat mancipiũ, Luc. 16. Sed Chriſtum ieiunantem & eſurientem in deſerto tentâſſe, cũ diceret: ſi filius Dei es, dic vt lapides iſti fiant panes. Ideò docuit Chriſtus quòd genus illud dæmoniorum, quæ gulã accendunt, non eiſcitur niſi ieiunio & oratione. Qui ergo vult liberari ab illo dæmonio, fugiat crapulam. Deindè gula nocet homini in corpore & anima: in corpore, quia plurimas infirmitates generat. Eccleſiaſt. 37. In multis eſcis erit infirmitas. Multos morbos faciunt multa fercula, quia ex nimia repletionem, multi fiunt paralytici, contracti, hydrofici, pleuretici &c. Vndè eſt magna hominum ſtultitia, quòd ob delectationem palati per vnã horam, ſibi accerſant multifarias infirmitates. nam vitam quoque abbreviat crapula. Eccleſiaſt. 37. Qui abſtinens eſt, adijciet vitam. Eſt enim abſtinentia mater ſanitatis & viuacitatis: voluptas autem & repletio, multarum egritudinũ cauſa eſt. Itẽ gula nocet animæ nã facit obliuiſci creatoris ſui. Oſeę. 13. ſaturati ſunt, & eleuauerunt cor ſuum, & obliuiſci mei. In hoc ſepè peccant clerici, quandò conuiuantes horas canonicas negligunt. Proueniunt autẽ ex hoc vitio gulæ multa mala humano generi & plagæ, nempe caritas
annonæ

2.

Matt. 4.

Matth. 17.

Leuit. 26,

annonæ & frumentorū, fames, incendia, morbi acuti, &c. Ideò dicitur: si non seruaueritis præcepta mea &c. hæc faciam vobis, visitabo vos velociter in egestate & ardore: frustra seretis sementē, qui ab hostib. deuorabitur: labor vester erit incassum, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt. & infra: Cōfringam baculum panis vestri? panis dicitur baculus, quia sustentat vitam) vt decem mulieres in vno clibano pinsant panes, & reddent eos ad pondus, & comedetis, & non saturabimini. sic etiam Deut. 28. scribitur de plagis huiusmodi, & historia Num. 11. testatur quantopere displiceat Deo gula, quando filij Israël in deserto petierūt carnes non cōtenti de manna coelesti, quomodò puniti sunt dum adhuc carnes essent in dentibus eorum & moriebantur subito, &c.

CAPVT XIX.
ARGVMENTA.

1. *De vitio ebrietatis.*
2. *Quæ mala sequantur ex ebrietate.*
3. *Quantū sit punita à Deo, & hodiè puniatur.*

1. **P**rimò ebrietas est non necessaria (cum *vnnotige*) (repletio potūs, per quam ratio deperditur, & est maximum peccatum, si fit cum proposito. Noë cum bibisset vinum, nudatus fuit: quod nō accidisset, si sobrius fuisset, Gen. 9. dicitur Eccl. 31. Vinū ad iocunditatē creatum est, & non ad ebrietatem; exultatio corporis & animæ, vinum moderatè sumptū: abundantia verò vini, iram & infirmitates multas generat. Ideò Apostolus 1. Timot. 3. prohibet eligi in Episcopum vinolentum, & Christus prohibet ebrietatem, inquit Lucæ 21. Videte ne corda vestra grauentur crapula & ebrietate, & curis huius vitæ, &c. Et propheta Esaias 5. clamat contra hoc vitium, inquit: **VAE** qui consurgitis manè ad ebrietatem
sectan-

sectandam, & potandum vsque ad vesperam, vt vino æstuetis: cithara & lyra & cæt. Opus autem Domini non respicitis, quare ad Romanos. 13. Apostolus inquit: Non in comessationibus & ebrietatibus, scilicet non licet nunc viuere post baptismum, sed induimini Dominum nostrum Iesum Christum, id est, imitamini Christi bonitatem, abstinentiam, sanctitatem, sobrietatem, patientiam, humilitatem, &c.

Secundò multifaria damna sequuntur ebrietatem Osee 4. Fornicatio, & vinum & ebrietas auferunt cor. id est, prudentiam & virilitatem. Sit quantumcunque sapiens vir, si inebriatus fuerit, ibi aufertur cor & ratio, & fatuo ac semiuiro similis efficitur: idè Salomon Prouerbior. 31. inquit: Noli regibus dare vinum, quia nullum secretum est, vbi regnat ebrietas: ne fortè bibant reges, & obliuiscantur iudiciorum, & mutent causam filiorum pauperis: sed vbi hodiè maior est potatio ad equales haustus, nisi in aulis principum & potentum? ibi enim honor & strenuitas reputatur, fortiter posse bibere & cæt. Sed quam praua & infauita inde sequantur sæpè consilia & ausus temerarij, exitus probat, cuius rei verissimum habemus exemplum in rege Balthasaro Chaldæorum, de quo scriptura dicit Daniel, 5. quod fecit grande conuiuium, & iam temulentus præcipit afferri vasa aurea & argentea è templo, & ea vertit in vsum potationis, sed mox tristem illi exitum denunciabat manus scribentis in pariete: eadem enim nocte malè periit, & regnū eius diuisum fuit, & datum Medis & Persis, Hoc exemplum considerent principes & episcopi, qui quandò temulenti sunt, nobilibus suis donant bona Ecclesiæ, monasteriorum & alia. Sic Paulus maximè abhorret Episcopum ebriosum, & prohibet ne ad episcopatum admittantur, qui tali vitio temulentia laborant. Scriptura dicit Ezechiel, 44. Vinum nō bibit omnis sacerdos, quādò ingres-

gressurus est atrium &c. quare veteres canones statuerunt, videlicet Dist. 35. ca. antè omnia, quòd sacerdos qui ita fuisset inebriatus, vt esset absq; ratione, deberet per triginta dies ab altari & celebratione abstinerere, vel alio modo per totidem dies puniri: nihil periculosius accidere potest rei Ecclesiasticæ & politicæ, quàm ebrius rex & sacerdos: Vndè Apostolus numerat ebrietatem inter peccata, propter quæ quis est excommunicandus, dicens primo Corint. 5. Si quis est scortator, auarus, maledicus, ebrius, cum huiusmodi nec cibum sumere debetis. Vndè patet, quantum semper damnata & prohibita fuerit ebrietas. Porrò ex hoc vitio temulentix veniunt pessima peccata carnis & luxuriæ, vndè dicitur Eph. 5. Nolite inebriari vino, in quo est luxuria: non prohibetur bibere vinum. sed inebriari: est enim gula & ebrietas ianua omnis luxuriæ tam in fœminis, quàm in viris. vndè ille dicit,

Uxor sæpè suum nescit amica virum.

& alius in Satyra:

Quid enim Venus ebria curat?

Vndè Hieronymus in Epist. 45. vicerunt vina Loth, quem non vicerunt Sodoma: quem ebrietas fecit peccare cum filiabus proprijs, &cæ. Genes. 16. Veniunt & alia grandia peccata ex ebrietate, vt Sodomitica & variæ species turpitudinis: ratio enim vbi absorpta fuerit per vinum, caro ruit in omne vitium. Sic Propheta Ezech. 16. inquit: hæc fuit iniquitas Sodomæ, abundantia, ocium, ebrietas, & saturitas, &c. Quare Petrus dicit 1. Petr. 5. Sobrij estote & vigilate, quia aduersarius vester diabolus tanquã leo rugiens circūit &c. Insuper ebrietas diminuit vitam & sanitatem, Ecclesi. 31. Propter crapulam plures perierunt, quàm gladio: sunt itaq; ebriosi homicidæ proprij corporis

poris, quia virā sibiipsis abbreviant: quare si lex dam-
nat & cōburit corpora eorum, qui seipfos occiderūt
vel strangulārunt, meritō & illi prohiberentur à se-
pultura Ecclesiastica, qui ex ebrietate & crapula ob-
iērunt. Amnon filius David, in conuiuio Absalonis
remulentus occisus fuit, 2. Seg. 13. Sic multa homici-
dia, cruentę pugne, maledictiones, blasphemie, & per
iugulum rediturę voces, detractiones & similia con-
tingūt in ebrietate, & nullam habent excusationem.
Vndē periculosissimū est, in ebrietate occidi aut mo-
ri: ibi enim nulla pœnitentia, neq; fides in Christum,
eō quod ratio absorpta est per ebrietatem &c.

Tertiō quomodō punita sit crapula & ebrietas,
recenset Esaias propheta, inquit cap. 5. Propterea
ductus est populus meus captiuus, scilicet propter e-
brietatem & citharas & tympana in conuiujs, & in-
terea opus Domini fuit neglectum, & nobiles eius
interiērunt fame, & multitudo eius siti exaruit. Et i-
terū: Væ qui potentes estis ad bibendum vinum,
scilicet ad equales haustus, & estis fortes ad miscen-
dam ebrietatem, id est, qui deceptionibus & potibus
mixtis procuratis proximi ebrietatem &c. Audiant
ergo hæc, & considerēt potatores, dicit etiam Ezech.
16. ideō punitam Sodomam & alias ciuitates tam
horribili pœna, nempe propter ocium, crapulam &
ebrietatem, ex qua cętera nefanda peccata sequeban-
tur. Et Christus dicit in Euāgelio Lu. 16. de epulone,
qui quotidie epulabatur splendidē, quomodō po-
stea torquebatur in igne: quod exemplum omnes po-
tatores attendere debent, ne & ipsi in igne æternali-
ter crucientur. Apostolus quoque 1. Corinthio. 6. ta-
xat hanc grauissimam pœnam ebrietatis, cūm di-
cit, quod ebrioli regnum DEI non possidebunt. &
porrō ad Galat. quinto: inter opera carnis recenset
ebrietatem & comestationem, & dicit quod tales re-
gnum Dei non possidebunt: vndē maximē fugiendū
est hoc

est hoc vitiū. Methodius dicit propter hoc peccatum ebrietatis tandem Turcam esse venturum, &c.

CAPVT XX.

ARGVMENTA.

1. *Quid sit peccatum acedia.*
2. *Quantum DEO displiceat in homine.*
3. *Quo damna sequantur ex acedia.*

1.



Cedia est lassitudo ad bonū aliquod inchoandum, vel inchoatum bonum perficiendum: contra hoc peccatum, ne Ephesijs contingeret, Paulus flectit genua ad Deum patrem, vt confirmarentur & corroborentur secundum interiorem hominem in fide, dilectione & timore Dei Eph. 3. Sic quoque orat pro Philippensib. vt charitas magis ac magis abundet in omni scientia & sensu, Philipp. 1. Sic maximè angebatur, si quis ex Corinthijs infirmus in fide fuerat, aut scandalizatus, 2. Cor. 11. hoc enim singulare est ingenium Sathanæ, vt vel bonum quod homo proponit impediatur, aut hominem in incepto bono fatiget: orandus est igitur Deus pro constantia & perseuerantia in bono. De hoc vitio dicitur Apoc. 3. Vtinam frigidus esses aut calidus: sed quia tepidus es, euomam te ex ore meo: contra hoc vitium maximè clamabat Helias propheta, 3. Reg. 18. arguens populum: Vsq̄uequó claudicatis in duas partes? Si Dominus est Deus, sequimini eum: Sin autem Baal, sequimini illum: Sed populus non respondit verbū &c. Sic hodie quoq; claudicatores confundentur.

2. Secundo, admodum displicet Deo acedia: nam seruum desidem qui nō negociabatur cum pecunia Domini sui, sed ociabatur, vocat seruum inutilem, & iubet ligatum in tenebras exteriores proijci, Matthæi 25. Omnis creatura fugit peccatum acediæ. Sol, Luna & reliqua astra perficiunt suū cursum. Vndè August. dicit:

dicit: Si Sol posset loqui ad pigrū, quem manē in lecto reperit, Plus heri laboravi quā tu, currendo sine acedia, & perficiendo cursum meum, & tamen surrexi: tu adhuc dormis? Sic herbe crescunt & proficiunt de minima quantitate in maiorem: sed homo desidiosus nil proficere curat, & Salomon Prouer. 6. piger pponit animalculum minutū, nempe formicā, quod sibi prospicit de futuro, vnde extat versiculus:

Colligit in messe, quod habet formica neceffe.

Sed homo acediosus non curat nec cogitat quæ futura sunt. David quoque dicit, quomodo omnes creaturæ laudent Deū incessabiliter, Sol, Luna, stelle, montes, arbores, ignis &c. Vnde displicet maximè Deo nostra acedia, cum etiam omnes creaturæ non cessent bonum agere: quin & angeli incessabili voce Deum laudent, &c. Quare Christus iubet orare, ne fuga nostra fiat Sabbatho, id est, fuga ab operibus sanctis: aut in hyeme, id est, per amissionem charitatis erga proximum. Nam quando abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Mat. 24. Apud Hierem 40. homo maledicitur, quod opus Domini faciat negligenter, & Saluator Christus maledicit ficulneæ, non ferenti fructum Luc. 13. vbi taxantur omnes desides & acediosi, cuiuscunque etiam status sint: Episcopus negligens in officio suo, maledicitur, eò quod opus Domini (id est, Episcopatum suum) administrat negligenter, 1. Corin. 4. Maledicuntur omnes status, si officia sua negligent, & per acediam supersedeant, magistratus, rectores principes, clerici, monachi, laici, maritus, ac seruus ac Dominus: omnes enim status siue officia tã in Ecclesiastica quã in seculari politia sunt opus & ordinatio Domini. Quisquis igitur in statu vel officio suo piger & acediosus reperitur, is maledictione Domini incurrit: quare hoc dictum Prophetę de maledictione negligentium, perpendant omnes Episcopi, prelati & principes. Quod enim tanta nunc

est perturbatio in Ecclesia & tristis facies, ex nullâ alia causa venit, quàm ex negligentia & acedia Rectorum, Episcoporum & Principum, qui politias regunt, Mat. 13. cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & superfeminavit zizania in medio tritici. Nam quandò officia commissa negliguntur, & alia curantur quæ non pertinent ad officium nostrum, fit vt in varia vitia incidamus. Daud, ipso tempore cum reges ad bella procedere oportebat, desidiosus in domo sua mansit, & in graue adulterium incidit, imò & homicidium perpetravit. Vndè enim tot adulteria & libidines in vtroq; statu, nisi ex ocio & desidia? Vndè gentilis poëta remedium dans, inquit:

Ocia si rollas periere cupidinis arcus.

Cedit amor rebus: res age, tutus eris. &c.

3. Tertiò, varia damna sequuntur hoc peccatum: nã tales desidiosi qui sic torpent in bono aliquo perficiendo, & de die in diem differunt, sæpè morte insperata præueniuntur, & illis tempus & vita subtrahitur, quandò dicunt, Cras faciam aliquid boni, cras incipiam me emendare. sed contra hoc est quod veteres in versu dixerunt:

Noli per cràs cràs, longas tibi ponere metas.

Qui non est hodiè, cràs minus aptus erit.

Vndè Christus ad quendam qui dicebat: Domine, permitte me prius sepelire patrem, & sequar te: respòdit, Sequere me, & sine mortuos sepelire mortuos suos: mortuos, id est, infideles, vt notatur Ioan. 5. Venit hora & nunc est, vt mortui, id est, infideles audiant vocem, id est, Euangelium filij Dei: & qui audierint, id est, crediderint, viuent æternaliter. Sic neminem à fide Christiana impedire debet vel mater, vel pater, vel soror, &c. Sic Christus increpauit Petrum, qui retrospectiebat & quærebat de Ioanne Euangelista dicens: Domine, hic autè quid? Christus respòdit, Quid

Quid ad te? tu me sequere, id est, Nihil te retardet vel impediatur, quin me sequaris. Vnde valdè periculosum est, bona quæ in aîo cõcepimus, de die differre in diē. sæpè enim illos cita mors præuenit, quare dicitur Eccl. 5. Ne tardes conuerti ad Dominū, & ne differas de die in diem. subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te. Vnde Augusti. 8. Confess. Quam diu crās? & cur non modò? quare non ex hac hora finis torporis mei? Admonet igitur Apostolus Gal. cap. 6. vt vitent hoc vitium acedia, dicens: Bonū facientes, non deficiamus: ergo dum tempus habemus, operemur bonum &c. Incitat quoq; nos ad vitandū hoc vitium promissio præmij, 1. Cor. 3. & Mat. 19. Centuplum accipiet, etiam in hac vita. Hoc est telum Sathanae, quo vulnerat multos, qui putant & dicunt, quòd nullum sit meritum bonorum operum; eum tamen Christus passionis suæ merito Spiritū & gratiam operandi bonum nobis meruit, & facit opera nostra accepta & meritoria: & circa hoc multi exciderunt à merito, & apostatârunt ex monasterijs, & alijs sua merita inuiderunt, vt inquit Ambrosius lib. 10. Epist. 82. Quare audiamus saluatorem nostrum, qui nos mōnet contra hoc peccatum acedia:

Vigilate, quia nescitis qua hora D O M I-

N V S venturus sit, Matthæi 24.

(.: Lucae 12. .:)

F I N I S

C A T E C H I S M I.

O O 2 ARGV-